CANONICA SUCCESSIO
MINISTERII

Ecclesiæ ANGLICANÆ Reformatæ

Tam contra

PONTIFICIOS

SCHISMATICOS

VINDICATA.

Authore SAM. FULLER, *SS. Th. Prof. Capellano Regio, Cathedralis Ecclesiæ* Lincolniensis Cancellario, *& Canonico* Residentiario.

Καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ Πατήρ μου, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς. Joh. 20. v. 21.

Ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν Ἀποστόλων, καὶ Προφητῶν, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, Eph. 2. v. 20.

Εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ, ad Tim. 3. v. 1

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina *J. Hayes*, Celeberrimæ *Academiæ* Typographi 1690.
Impensis *H. Dickinson*, Bibliop. *Cantab.* Et prostant Venales apud *S. Smith* Bibl. *Lond.* ad Insignia *Principis* in Cœmeterio *D. Pauli.*

December 4. 1689.

Imprimatur,

Ja. Johnson, Procan.

Jo. Mountagu, Coll. Trin. *Magist.*

Jo. Beaumont, S. Th. Professor R.

Humf. Gower, Professor Marg.

Car. Roderick, SS. T. P. *Coll. Regal.* Præp.

MAR 9 1912

Florentiſſimæ MATRI

Academiæ Cantabrigienſi

HAS

CANONICÆ SUCCESSIONIS

MINISTERII

Eccleſiæ ANGLICANÆ *Reformatæ*

VINDICIAS

Olim pro

Gradû Doctoratus *in SS.ᵃ Theologiâ,*

in Veſperiis Commitiorum Ann. 1679,

in Templo

Beatæ MARIÆ *apud* CANTABRIGIENSES

HABITAS, & jam in

BREVEM TRACTATUM

Reductas & Caſtigatas,

Indigniſſimus Filius SAM. FULLER *SS. Th. Prof.*

Coll. Div. *Joh.* Evan. *olim Socius,*

Summâ cum Humilitate & Veneratione, in

Perpetuum Gratitudinis Teſtimonium

Dat, Dicat, Conſecrátque.

PRÆFATIO.

SIquis *rogaverit* hunc Authorem, *cur has Chartas* blattis & tineis *deſtinatas, iiſque penè abſumptas, jam tandem reſarcierit & publicas fecerit, ſævioribus malevoli Sæculi dentibus corrodendas; Reſponſum habeat, moleſta hæcce* Tempora, *& pericula undique* Eccleſiam *circumſtantia id poſtulâſſe, ut vel* indigniſſimus omnium Filius *pro ſuâ virili* Sanctæ Matris *cauſam ſuſciperet, & decus defenderet. Quod enim olim dicebatur, etiamnum eſt cum luctû repetendum,* Eccleſiam *ſcil.* Anglicanam inter duos Latrones, *quorum* uterque maledicit, crucifigi; Iſſachar *inſtar,* cubare inter duas ſarcinas, *& utrinque vel* Schiſmaticorum *vel* Pontificiorum *conviciis onerari; cum* S^ti Pauli navicula incidiſſe in locum bimarem,

rem, *ubi contrâeuntibus undis illiditur, ſub ingruente Naufragio utrinque peritura.*

Et licèt, ſummâ Divinæ Providentiæ Benignitate, *nuperas* Pontificiorum *inſidias effugerit, nondum tamen eſt extra* Schiſmaticorum *invidiam poſita; ſunt enim inter Nos quàm plurimi, qui obſoletis artibus debellatum* Schiſma *inſtaurare ſatagunt; nec contenti ſemel fictæ Sanctitatis ſtrategemate decepiſſe, eodem Religionis prætextû idem Sacrilegium moliuntur, & repetito ſpecioſo* Reformationis *nomine ipſam Reformationem iterum* everſum eunt.

Vidimus Presbyterianorum *inſaniam adeò apud* Scotos *invaluiſſe, ut jam penitùs* totum Epiſcoporum Ordinem exterminaverint; *& novimus* inter Nos *plurimos eſſe, qui* Patrimonio ſacro *inhiantes, Eccleſiam noſtram ad præſentem* Scotiæ *Modulum reformari vellent, conten-*

tendúntque Papiſmum *non poſſe penitùs aboleri, quamdiù* Epiſcopatus *retineatur*; *nec poſſe Eccleſiam* Apoſtolicam *formari, niſi ordinarii* Apoſtolorum Succeſſores *extirpentur. Vidimus contra Eccleſiam* ſcribendi Cacoethes *iterùm prurire*, Libelloſque *contra ſacrum Epiſcopatus Ordinem olim editos & damnatos*, nova Impreſſione *pergentes maledicere.*

Nolunt ſuo Schiſmate *frui, ſub Indulgentiâ* Clementiſſimorum Principum, *niſi &* nos *in eodem Schiſmate* comprehendamur; *& unicum diſſidiis noſtris* conciliandis *remedium proponunt*, Diœceſani Epiſcopatus Authoritatem evertere, *&* Parochorum Paſtoratum, *per* Mille & quingentos *Annos in Eccleſiâ Chriſti* ignotum, *reſtituere, ut ſuas innovationes Antiquitati noſtræ*, commiſſuras panni novi veſtimento veteri, *adjungendo, pejorem* Sciſſuram *reddant*,

&

& istud Schisma, *quod* Pontificii *per tot Annos* frustra *probâsse conati sunt, Lege & Authoritate confirmatum & stabilitum faciant.*

Sed totiès experti Divinæ Providentiæ *benignitatem, non desperamus, quin* Deus O. M. *qui Ecclesiam suam corruptam* reformavit, *penè eversam* restituit, *& restitutam hûc usque, contra indefessos Hostium conatus,* conservavit, *eandem per sæcula conservaturus sit; &* Serenissimi Principes, *quos benignissima Providentia ad auxilium & patrocinium labantis* Religionis Reformatæ *excitavit, & cumulatâ* Miraculorum *serie suæ Ecclesiæ præfecit, sub perpetuâ ejusdem* Providentiæ *Benedictione, futuri sint* veræ *&* Catholicæ Fidei *&* Disciplinæ *Ecclesiæ* Anglicanæ *invicti* Defensores.

CANO-

CANONICA SUCCESSIO

MINISTERII

Eccleſiæ ANGLICANÆ *Reformatæ*

VINDICATA.

PRÆCIPUAM *Reformationis* noſtræ gloriam, *Canonicam* ſcilicet *Miniſterii Anglicani Succeſſionem*, in hoc brevi Tractatû defendendam ſuſcepi, contra utrumque hoſtium agmen tam *Pontificium* quàm *Schiſmaticum*. Utrinque enim Hoſtes adoriuntur, & utrinque, licèt ſub diſſimili prætextû, ſucceſſionem Miniſterii noſtri damnant & conviciantur; *Pontificii* affirmant, nos, ablegando *Epiſcopi Romani* autoritatem, *deſeruiſſe fontem aquæ vivæ, & nobiſmetipſis excidiſſe Ciſternas fractas & perfluentes*; *Schiſmatici* conqueruntur, nos, retinendo *ſuperioritatem Epiſcopalem*, reliquiſſe fontem *pollutum* adhuc, & ulteriùs *purgandum*.

Cum *Romanenſibus* habemus Clerum *Laicum*, Sacerdotium *Reginale*, & *Parliamentarium*; cum *Schiſmaticis*, Miniſterium *Papiſticum* & *Antichriſtianum*; contrà utroſque inſtituitur præſens diſputatio, & quia diversâ conviciandi ratione contendunt, & diſtincto agmine aggrediuntur, ſingulatim & divisim conabor, *utriuſque Partis* injuſtas calumnias & ineptas altercationes refellere & refutare; idque ut perſpicuâ methodo

abſolvam, totam argumentandi Materiam in duas partes diſtinguam.

In primâ, contrà *Pontificios* probandum curabo, *canonicam ſucceſſionem* Miniſterii *Anglicani* non fuiſſe à *Reformatoribus* noſtris *interruptam.*

In ſecundâ, contra *Schiſmaticos* demonſtrare conabor, ſacram Cleri *poteſtatem* qualis à *Chriſto* & *Apoſtolis* inſtituta eſt, ad nos uſque per debitos Canonicæ ſucceſſionis Miniſtros, & ordinarios Apoſtolorum ſucceſſores *puram* & *incorruptam* deſcendiſſe.

"Ut hæc duo diſtinctiùs probentur: quædam præ-
"fanda ſunt de naturâ, uſu, & neceſſitate Succeſſio-
"nis Canonicæ. Per Canonicam itaque Succeſſionem in-
"telligo eam ſacri Miniſterii ſeriem, quæ ab Apoſtolis
"& eorum Succeſſoribus per continuatam Vocationis
"legitimæ lineam ad nos uſque deſcenderit; & per le-
"gitimam vocationem intelligo Miſſionem ab illis col-
"latam, qui in hâc ſucceſſionis ſerie miſſivam poteſta-
"tem receperant.

Et hîc primò affirmo tanquam certiſſimum & indubitatum, Nemini licere in Eccleſiâ ſpiritualem auctoritatem exercere, niſi [a] *qui vocetur à Deo tanquam Aaron*, ſecundum illud Apoſtoli ad *Hebræos:* Neminem poſſe legitimè [b] *prædicare*, niſi legitimè *mittatur*; ut habet idem Apoſtolus ad *Romanos:* & ideò querebatur ipſe *Dominus* apud *Hieremiam*, [c] *ſe non mittente Prophetas cucurriſſe, & non alloquente prophetâſſe.* Ad eundem ſenſum *Joh. Baptiſta* præcurſor *Chriſti*, qui ipſe dicitur *Homo miſſus à Deo*, affirmat [d] *nihil poſſe uſurpari, niſi ſit à Cœlo datum.*

[a] Heb. 5. 4.
[b] Rom. 10. 15.
[c] c. 23. v. 21.
[d] Joh. 3. 27.

His conſona Eccleſia *Anglicana* in *Articulo* 23^io aſſeruit, *Nemini licere ſibi ſumere munus publicè prædicandi, aut adminiſtrandi ſacramenta in Eccleſiâ, niſi priùs fuerit ad hæc obeunda legitimè vocatus & miſſus:*

ſus: & hunc *Theodorus Beza*, in *Epiſtolâ* 4ta, affirmat eſſe *Ordinem à Chriſto inſtitutum, & ab omnibus veris Prophetis & Apoſtolis inviolabiliter obſervatum*; & ideò non malè definivit *Forbeſius* in ſuo *Irenico* ſacrum Ordinem, *Officium ſpirituale in Eccleſiâ Dei divinitùs datum Homini in opus Miniſterii ad ædificationem Corporis Chriſti*. Et hæc omnes concedunt & concedere tenentur qui jus divinum Miniſterii Evangelici agnoſcunt & defendunt: nec dubito quin ipſi *Eraſtiani*, & ipſorum Princeps *Malmsburienſis*, ſi penes eos eſſet determinare, libentèr conſentirent aliquam publicam deſignationem requiri ad ſacra munera obeunda, modo concedatur *Illis* & illorum *Hypotheſi* omnem ſacram poteſtatem non tantùm ſub regimine *ſummi magiſtratûs* eſſe, ſed ab ejus *authoritate* tanquam à fonte derivari.

Sed pace tantorum Virorum aliter ſentiendum eſt---

Secundo itaque affirmo omnem ſpiritualem Eccleſiæ poteſtatem à *Chriſto* originem duxiſſe, & ab eo per *Apoſtolos* & eorum *Succeſſores* per vocationem ordinariam ad nos uſque deſcendiſſe; ideóque in ſacrâ paginâ munia & officia Eccleſiaſtica Chriſti beneficentiæ attribuuntur, [e] *unicuique noſtrûm data eſt gratia pro portione doni Chriſti*, ubi de Officiis miniſterialibus loqui Apoſtolum facilè patebit conſulenti locum. Apoſtolatus ſancti *Pauli* dicitur [f] χάρις δοθεῖσα, Miniſterium *Timothei* appellatur [g] χάρισμα: *Epheſinæ* Eccleſiæ [h] *Epiſcopi conſtituuntur à Sancto Spiritu*. Apoſtoli dicuntur habere [i] *miniſterium Reconciliationis iis commiſſum*, & *pro Chriſto legatione fungi*. Munera Eccleſiaſtica vocantur *Dona*, [k] *ſunt diſcrimina donorum, ſed idem Spiritus, diverſitas Miniſteriorum, ſed idem Dominus*, ut legitur in 1ma *Epiſtolâ* ad *Corinthios*. In Epiſtolâ ad *Epheſios*, Chriſtus dicitur [l] *dediſſe* non

[e] Eph. 4.7.
[f] Rom. 15.15.
[g] 1 Tim. 4.14
[h] Act. 20.28.
[i] 2 Cor. 5. 19,20.
[k] 1 Cor. 12.4,5.
[l] Eph. 4.11.

tantùm *Apoſtolos* ſed *Prophetas*, *Evangeliſtas*, *Paſtores & Doctores*, & ſub iſtâ nominum varietate innuitur totum Miniſterium Evangelicum quod per omnia ſæcula ad *conſummationem Sanctorum* & *corporis* ſui *ædificationem* ſufficeret. *Sub lege olim carnali*, ut verbis utar doctiſſimi [m] *Spalatenſis*, *propagatione Eccleſiæ miniſtrorum ſucceſſio peragebatur, & ex lumbis Aaronis per traducem naturalem Sacerdotium deſcendebat, nunc vero Chriſto Theanthropo facto* [n] *ſacerdote in æternum ſecundum ordinem ſacerdotii Melchiſedechiani* (° *in quo nec Pater nec Mater nec genealogia*) *meritò carnalis Sacerdotum propagatio ceſſavit: Chriſtus enim ipſe ſicut liberâ Electione primos ſuos Miniſtros Eccleſiæ præfecit, ita Electione propagationem ſucceſſorum fieri debere, & oſtendit & mandavit, cum dixit* [p] *ſicut miſit Me Pater, ita ego mitto Vos, ut quemadmodum Ego Patris conceſſione & præcepto elegi Vos liberè, ita Vos authoritate & mandato meo eligere debeatis alios qui vobis ſuccedant, & Succeſſores veſtri alios uſque ad conſummationem ſæculi.* Et hoc ordine derivari omnem poteſtatem Eccleſiaſticam adeò neceſſarium eſt credere, [q] *Ut verè neque Epiſcopus ſit, neque Epiſcopalem habeat poteſtatem neque quicquam efficiat, niſi qui ſit ritè ab aliis Epiſcopis aſſumptus, & miniſterio Eccleſiaſtico applicatus, cum verâ & legitimâ Succeſſione tali ut ipſa ad ſanctos Apoſtolos rectâ analyſi reſolvatur, ſive ad alios Epiſcopos qui cum illis habuerint communionem, qui ad Apoſtolos ſuum recenſum habent*; & hæc Succeſſio ſtabilita eſt in Eccleſiâ vi tute iſtius promiſſi Chriſti quo primis Apoſtolis dixit, [r] *ſe iis ad conſummationem ſæculi adfuturum.*

Et ſanè ſi *novos Apoſtolos* ſive Evangeliſtas abſque novis miraculis & evidentiſſimâ Revelatione, ſuâ ſolâ auctoritate inductos, ut veros admittamus, *Schiſmatibus*

[m] *De Repub. Eccleſ. l. 2. c. 2. n. 51.*

[n] Pſal. 109. 4.

° Heb. 7. 3.

[p] Joh. 20. 21.

[q] *Spalat. ibid. num. 55.*

[r] Matt. 28. 20.

matibus & *hæreſibus* amplum aditum in Eccleſiam Dei aperiemus. Quivis enim *Hæreſiarcha* quem *Diabolus* ſuſcitaret etiam ad Evangelium extinguendum, & totam Eccleſiam evertendam, poſſit hanc *novam miſſionem* prætexere, nec habebit Eccleſia ſuum *Lydium lapidem* quo olim probavit ſchiſmata.

Ex *hoc Topico Cyprianus* contra *Novatianos*, & *Auguſtinus* contra *Donatiſtas* argumentantur, ut citantur apud prædictum[f] *Authorem*. *Novatianus*, inquit *Cyprianus, in Eccleſiâ non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui Evangelicâ & Apoſtolicâ traditione contemptâ nemini ſuccedens à ſeipſo ordinatus eſt: habere namque aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt, qui ordinatus in Eccleſiâ non eſt.* [t] *Unde extitit origo* Donati, rogavit *Auguſtinus, ubi catechiſatus, ubi baptizatus, ubi ordinatus, quando jam Eccleſiam contagio Communionis extinxerat?* Utriuſque verò Patris *Africani* argumentum concidet, ſi exceptio de *novo Miniſterio* extrà ordinem ſucceſſionis Apoſtolicæ locum habuerit: facile enim erit *Novatiano, Donato*, aliiſque *ſectariis* dicere, in ſeipſis *Novum Apoſtolatum cœpiſſe*, niſi verius eſſet regerere, ipſos & ipſorum [u] *novam novorum Apoſtolorum progeniem extra Palmitem ſucceſſionis Apoſtolicæ adulterinis ſurculis ſuccreſcentem, meritò aruiſſe, quia non habuerit ex primâ vite, quæ eſt* Chriſtus, *humorem*, ut elegantiſſimè applicuit *Metaphoram* Evangelicam, idem doctiſſimus *Spalatenſis*.

[f] *Spalat. ibid. num.* 57.

[t] *N.* 58.

[u] *Ibid.*

Tertiò, Affirmo Apoſtolos *miſſivam poteſtatem* in manibus Epiſcoporum repoſuiſſe, & penes eos tanquam ordinarios Apoſtolorum ſucceſſores, ex perpetuâ Praxi & conſuetudine Eccleſiæ, ſemper fuiſſe authoritatem *mittendi Operarios in Vineam Domini*, & conſervandi debitam Miniſterii ſacri ſucceſſionem. Et hic duo ſuppono.

Primò,

Primò, Superioritatem Epiſcopalem ab ipſis *Apoſtolis* inſtitutam.

Secundò, Prærogativam ordinandi primitùs Apoſtolico *Epiſcopatui* annexam fuiſſe.

Siquis primum negaverit, ei incumbet probandum unde Epiſcopalis ſuperioritas cœperit introduci, ſi non ab ipſis Apoſtolis; cùm non tantùm tertio ab illis ſæculo, ſed ipſis viventibus, nec uno tantùm alteróve loco, ſed ubique gentium, prout crevit Chriſtiana religio, obtinuerit. *Omnem enim fidem ſuperat, ut Eccleſiæ per totum orbem conſtitutæ & tanto à ſeſe intervallo diſterminatæ in eandem formam Regiminis conſpirarent*, niſi à quodam communi fonte, autoritate ſcil. *Apoſtolicâ* eam accepiſſent: nec in ullam aliam inſtitutionem poſſe referri, mihi abundè videtur ex eo ulteriùs probatum, quòd in hâc univerſali Praxi, *nullus Canon, nulla lex, nullum decretum à concilio quovis aut antiquo Patre editum ſit, quo* hæc forma regiminis *inſtituta legatur vel confirmata; nec in ullis antiquorum monumentis verbum extet de primâ ipſius ſive in universâ ſive in ſingulari aliquâ Eccleſiâ inſtitutione præterquam Apoſtolicâ*; ut doctiſſimus Editor [x] *Synodici*, egregius hujus cauſæ patronus, in *annotationibus* ſuis *Synodico* annexis argumentatur.

[x] *Beveregius Annot. ad Can. 2. Apoſt. p. 14, 15.*

Siquis negaverit ſecundum, ex *eodem* etiam *Topico* refutetur; poteſtatem enim Ordinandi ex inſtitutione Apoſtolicâ fuiſſe peculiare *Epiſcopatûs* privilegium abundè ex eo patet, quòd in antiquiſſimis Eccleſiæ *Canonibus* ſemper *præſupponatur*, non minùs quàm ipſe Epiſcopatus, tanquam illis longè *antiquior*.

Nullibi reperiendi ſunt Canones de eâ poteſtate Ordinandi Epiſcopis *aſſignandâ*, ſed plurimi qui de illâ *exercendâ*, tanquam veteri notóque Jure Epiſcopis debitâ, modos & limites præſcribunt. *Canones Apo-*

Apoſtolici, ſic dicti, non quod ab *Apoſtolis*, ſed quod doctrinæ & traditionibus Apoſtolorum conſoni à *Viris* primitivis & *Apoſtolicis* [exeunte ſecundo vel ineunte tertio ſæculo] conſtituti fuerant, præſuppoſito omnem poteſtatem Ordinandi Epiſcopis ineſſe, determinant numerum Epiſcoporum Clericis diverſorum graduum ordinandis accommodum vel neceſſarium.

In primò, *quemlibet Epiſcopum à tribus Epiſcopis vel duobus in caſu neceſſitatis* (ut nonnulli interpretantur) *ordinandum fore* ſtatuitur. Secundus *Preſbyteris & Diaconis ordinandis unum Epiſcopum* aſſignat; in utroque interim *ſuppoſito* nullum cujuſcunque gradus *Clericum* ſine authoritate *Epiſcopali* poſſe *conſecrari.*

Idem probant alii *Canones* qui poſteà in Eccleſiâ conſtituti ordinationes Epiſcopales ſtrictioribus regulis ſubjecerunt; non minùs enim certum eſt eam authoritatem cui *limites* præſcribantur anteà *extra iſtos* invaluiſſe, quàm poſt eos conſtitutos intra conceſſas circumſtantias etiamnum valere; nec magis verum *Regulam* ipſis *exceptionibus* in non exceptis *firmari*, quam authoritatem *limitatam* ipſis *limitibus* muniri. *Canon* itaque *Nicenus* 4*tus* decernendo *quemlibet Epiſcopum ab omnibus Provinciæ Epiſcopis vel à tribus, cæteris ſuffragia mittentibus, ordinandum fore*, non præſumitur novâ Conſtitutione authoritatem conſecrandi Epiſcopos, Epiſcopatui *dediſſe*, ſed antiquum Epiſcoporum jus novis limitibus cohibuiſſe, & novâ Sanctione confirmâſſe.

Sic etiam *Canon* 13us ejuſdem *Concilii*, qui *nulli Epiſcopo permittit Clericum alterius* Diœceſeos *ad ſuperiorem gradum promovere ſine* literis dimiſſoriis, *Dioceſani* authoritatem ordinandi Clericos ſemper penes Epiſcopos fuiſſe *ſupponit*, & eandem hâc reſtrictione probat & affirmat. Simi-

Similiter duo illi *Canones Ancyranus* 13us, & *Antiochenus* 10us qui prohibent *Chorepiscopos Presbyteros & Diaconos ordinare sine licentiâ Episcopi Civitatis cui ipse & regio subjiciuntur*, agnoscunt auctoritatem ordinandi dignitati Episcopali necessariò inhærentem, & exercitium istius authoritatis ubique licere; nisi ubi, melioris regiminis Ecclesiæ ergo, intra quosdam limites coerceatur. *Chorepiscopos* enim fuisse veros Episcopos non magis ex verbis *Canonis Antiocheni* citati quàm ex ratione & modo utriusque inhibitionis patebit; ex eo enim quòd iis *vetitum sit ordinare*, palam sequitur eos quandoque ordinâsse aut saltem tentâsse, & ex eo quòd iis *permissum sit hoc facere cum licentiâ Episcopi civitatis*, sequitur illos jus & internam Ordinandi facultatem *priùs* habuisse: si enim *Chorepiscopi* meri *Presbyteri* fuissent, ordinare non potuissent, etiamsi sibi à *mille* Episcopis permissum haberent *permissio* enim Episcopi sine *consecratione* Episcopali istam auctoritatem conferre nequit, ideoque in *Canone Apostolico* inseruntur ista verba, εἰ δὲ χειροθεσίαν εἶεν ὀπισκόπου εἰληφότες vel ὀπισκόπων, ut habent omnes *codices* præter *Bodleianum* (ut observat doctissimus *Editor* [y] *Synodici*) *quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint*, ut ea vertit *Dionysius exiguus*, & explicationis gratiâ addit, *& ut Episcopi consecrati sunt*; ergo non virtute *permissionis* sed jure *consecrationis* Episcopalis *cum licentiâ Episcopi civitatis Chorepiscopi ordinârunt*. Et huic conclusioni finem imponam postquam adjecerim verba doctissimi *Grotii* in suo [z] *Voto pro Pace adversùs Examen* Andreæ Riveti. *Vetustissima est Traditio de Ordinationibus, nempe ut Presbyter non habeatur, nisi cui manus solenniter imposuerit* ὁ ὀπισκόπος *sive* ὁ προεστὼς *ita* καθ' ἐξοχὴν *dictus; neque Episcopus, nisi cui manus impositæ fuerint*

y *Bevereg. Annotat. ad Can* 10 *Conc. Antioch. p.* 190. *a.*

z *Oper. Tholog. Tom* 3. *p.* 670.

rint à pluribus Epiſcopis neque verò à qualibuſcunque Epiſcopis ſed ab illis quorum cenſus decurrat ad aliquem ab Apoſtolis *ordinatum, hæc lis non mea eſt, ſed totius Eccleſiæ, ---his repagulis perruptis merà ubique factâ ſunt & fient mapalia.* Sed de hoc Argumento plura dicentur in *ſecundâ Parte* hujus Tractatûs.

Quartò, Affirmo eam Chriſtianorum *congregationem*, quæ fidem tenens *Orthodoxam* talem Miniſterii *ſucceſſionem* habet, eſſe Eccleſiam ritè & *Apoſtolicè* conſtitutam, & ſanum Eccleſiæ *Catholicæ* membrum; hoc affirmo cum antiquis *Patribus*, apud quos tanti olim hæc *Succeſſio* habebatur, ut nullæ *Eccleſiæ*, niſi ubi hæc invenienda, *legitimæ* cenſebantur; ad hanc tanquam ſacram *Anchoram* confugêre veteres, hunc tanquam *murum aheneum* univerſis *Infidelium* machinis oppoſuêre, iſtâ tanquam certiſſimâ *notâ Catholicam* Eccleſiam ab omnium *Hæreticorum* & *Schiſmaticorum* congregationibus diſtinxêre; *hâc cuſtodiri traditionem docet* [a] Ireneus *adverſus Hæreſes*, huic *doctrinæ veritatem adjunctam & annexam eſſe* affirmat idem ſanctiſſimus *Pater*: [b] *iis enim Presbyteris obaudire oportet* (ut verbis prædicti *Patris* utar prout *Latinè* habentur in *editione Feu-Ardentianâ*) *his qui Succeſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopatûs ſucceſſione Chariſma veritatis certum ſecundùm placitum Patris acceperunt: reliquos verò qui abſiſtunt à principali Succeſſione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos & malæ ſententiæ, vel quaſi ſeindentes & elatos, & ſibi placentes, aut rurſus ut Hypocritas quæſtûs gratiâ & vanæ gloriæ hoc operantes.*

[a] *Lib.* 3 *cap.* 2, 3

[b] *Lib.* 4. *cap.* 43

Hoc telo utitur [c] *Tertullianus* adverſus *Gnoſticos*; *Edant*, inquit, *origines ſuarum Eccleſiarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per* Succeſſiones *ab initio*

[c] *Lib Præſcriptionum. Ed. Rigalt. p.* 243.

initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis *vel* Apoſtolicis *viris, qui tamen cum* Apoſtolis *perſeveraverit, habuerit authorem & anteceſſorem; hoc enim modo Eccleſiæ* Apoſtolicæ *cenſus ſuos deferunt, ſicut* Smyrnæorum *Eccleſia habens* Polycarpum *à* Johanne *collocatum, refert : ſicut* Romanorum Clementem *à* Petro *ordinatum ; perinde utique & cæteræ exhibent quos ab* Apoſtolis *in Epiſcopatum conſtitutos* Apoſtolici *ſeminis traduces habeant.*

* *Ed. Rigalt. p. 245.* Et paulo poſt, * *ad vos,* inquit, *meritò dicendum qui eſtis? quando & unde veniſtis? quid in Meo agitis non Mei? quo denique,* Marcion, *jure ſylvam meam cædis? quâ licentiâ,* Valentine, *fontes meos tranſvertis? quâ poteſtate,* Apelles, *limites meos commoves? mea eſt* poſſeſſio, *olim* Poſſideo, *prior* poſſideo, *habeo* origines *firmas, ab ipſis authoribus quorum fuit res;* hæres *ſum* Apoſtolorum.

In hoc *aſylum* ſe recepit *Hieronymus* adversùs ſectas *Orientis,* ut ipſe indicat *in Epiſtolâ ad Damaſum,* & *Dialogo contra Luciferianos,* hoc argumento refutat *Donatiſtas Optatus Milevitanus l. 2. hâc ſucceſſione quaſi artiſſimo vinculo retentum, & fortiſſimo repagulo conſervatum ſe in gremio Eccleſiæ Catholicæ* affirmat *Auguſtinus,* libro [a] *contra Manichæos,* in *Epiſtolis,* & plurimis aliis locis. Et cùm hæc fuerit Opinio indubitata antiquæ Eccleſiæ & veterum Patrum, non poſſum non mirari Succeſſionem hanc tantilli apud Hodiernos æſtimari, & tot eſſe apud nos acerrimos etiam juris divini Miniſterii Evangelici, & vocationis ordinariæ Defenſores, qui eam in *Angliâ* penitùs everſum eunt : ne *Pontificii* deficerent in probando *Anglicano Schiſmate, nos ipſi* conamur Eccleſiam *Canonicè* reformatam *Schiſmaticam* reddere. At quouſque pergemus reformando ipſam Reformationem corrumpere & vitiare?

[a] *Cap. 4. Epiſt. 163 & 165.*

vitiare? quousque Charitate versus *transmarinos Protestantes* seducti, injusti erimus totius Reformationis *parti integerrimæ*? quousque immemores benignissimæ Providentiæ divinæ quæ hanc Ecclesiam tam ordinatè & pacatè reformaverit, Rectoribus nostris molestias movebimus? Quorsum cum *Israelitis Deum rejiceremus, ut similes essemus exterarum Gentium?*

Habet Ecclesia *Anglicana* Canonicam Ministerii Successionem, Episcopatum ritè constitutum, & Sacerdotium Episcopali consecratione debitè consecratum; Clerum cum potestate Docendi & Administrandi ab iis receptâ quos isti muneri Apostoli designârunt; verbum rectè divisum, & Sacramenta antiquo more administrata; nec quidquam deesse videtur quod ad Ecclesiam *legitimè* & *Canonicè* constitutam desideretur. Nolo quidquam temerè de *aliis* Christianorum cœtibus, ubi hæc desint, determinare, suos defectus tueantur; præsentis Tractatûs hujus præcipuum munus est, *nostram* Ecclesiam defendere, non *aliàs* Ecclesias calumniari, quæ ægrè possunt defendi, mallem audirent sententiam *Veterum* in hâc re quàm *meam*.

Novi enim *Hieronymum* dixisse, *nullam Ecclesiam esse ubi nullum Sacerdotium*, nec improbabile est eum Sacerdotes Episcopali consecratione constitutos intellexisse, cùm semper asseruerit Ordinandi potestatem peculiare Episcopatûs privilegium. Novi sanctum *Ignatium* affirmâsse, *Ecclesiam* non posse vocari ubi *Episcopi, Presbyteri* & *Diaconi* non sunt, sic enim habentur verba in *Epistolâ* indubitatâ ad *Trallesios* [c] Πάντες ἐντρεπέσθωσαν τὸν Διακόνους ὡς Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τὸν Ἐπίσκοπον ὡς τὸν Πατέρα, [ut corruptum Codicem ex *Antiocho* correxit [f] *Vossius*] καὶ Πρεσβυτέρους ὡς συνέδριον τοῦ Θεοῦ, καὶ ὡς σύνδεσμον Ἀποστόλων. χωρὶς τούτων Ἐκκλησία οὐ καλεῖται.

[c] *Ed. Voss. p.* 48.

[f] *Not. p.* 286.

Novi ſanctum *Cyprianum* definire Eccleſiam, * *plebem ſacerdoti adunatam & gregem Paſtori adhærentem*, & idem puto concludi poſſe ex ipsâ *confeſſione Auguſtanâ*, [a] cum Eccleſiam appellat *Congregationem ſanctorum, in quâ Evangelium rectè docetur & ſacramenta rectè adminiſtrantur*: quippe omnes Chriſtiani qui de hâc re ſobriè loquuntur, ad rectè docendum & rectè adminiſtrandum requirunt *Sacerdotium* legitimè conſtitutum. Interim penes Eos ſit, qui negant χειροτονίαν Epiſcopalem conſtituendo miniſterio eſſe neceſſariam, probare quenquam Veterum, excepto uno *Aerio* hæretico, affirmâſſe meros *Presbyteros* licitè *ordinare*, ante delirum hoc & præcedens ſæculum: de poſſibilitate ſalutis extra Eccleſias Epiſcopales non diſputo; novi enim Miſericordiam & gratiam Dei poſſe ſupplere omnes defectus Canonicos, ubi vera fides & bona opera habeantur: eam verò certitudinem, quæ ex promiſſis Dei & efficaciâ Gratiæ ordinariæ pendet, apud Eccleſias Epiſcopales præcipuè habendam non incongruè credo affirmari à Doctiſſimo *Dodwello*, in *Anglico* tractatû de *Nonconformiſtarum ſeparatione Schiſmaticâ*.

* *Ep.* 66. *p. Ed. Oxon.* 168.

[a] *Artic.* 7.

Promiſſum Chriſti de perpetuâ aſſiſtentia Apoſtolorum uſque *ad conſummationem ſæculi* ad Apoſtolicos & Apoſtolorum ſucceſſores pertinet, & univerſam Apoſtolicæ ſucceſſionis lineam indefectibili beneficentiâ conſequitur & comitatur: per hanc deſcendunt gratia & dona in membra Chriſti, & hâc præcipuè conſervatur Unio membrorum cum Chriſto capite, & ergò non malè *Caſſander* [b] dixit *ad unitatem Eccleſiæ* non tantùm requiri *doctrinæ & morum ſimilitudinem, ſed unitatem animorum; hoc eſt, communionem & ſocietatem cum Eccleſiâ ab Apoſtolis in univerſo terrarum Orbe conſtitutâ: & in hâc unitate potiſſimùm ſpectan-*

[b] *Conſultatio Caſſandri Artic.* 7.

spectandam eam Obedientiam quæ debetur Ecclesiæ Præfectis, qui inde usque ab Apostolis per successionem *Ecclesiam Dei gubernandam, & verbo Vitæ pascendam susceperunt.* Et non malè forsan definiverat Ecclesiam Bellarminus, [i] *cœtum Hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum Pastorum*; nisi adjecisset, *præcipuè unius Christi in terris vicarii, Romani Pontificis.* Debitè enim in *definitione* Ecclesiæ interponi "*sub regimine legitimorum Pastorum*, vel ex ipso Sancto *Paulo* probari videtur, ubi docet [k] *Christum dedisse quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, & ædificationem Corporis Christi; donec occurramus omnes in unitate fidei & agnitione filii Dei in Virum perfectum in mensurâ ætatis plenitudinis Christi.*

[i] *De Eccles. Milit. L. 3. c. 2.*

[k] Eph. 4. 11, 12, 13.

In quo loco *Apostolus* videtur asserere, ædificationem corporis Christi & unitatem fidei sub regimine & influxû Pastorum præcipuè perfici & conservari; & ad hanc rem accommodè dixit Doctissimus *Grotius* in *annotatis ad consultationem Cassandri*, [l] *Optandum est ut ista* ἐπισκοπία (Episcopalis) *retineatur ubique, utpote non ad singularum tantum Ecclesiarum optimum regimen, sed ad totius corporis compagem perquàm necessaria.* Cum quo consentire videtur sanctissimus *Ignatius* in *Epistolâ* ad *Smyrnenses* [m] ὅπου ἂν φανῇ ὁ Ἐπίσκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος· ἔστω, ὥσπερ ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. innuendo *particulares* Ecclesias Christianas sub suis Episcopis & pastoribus, uniri eidem communi corpori *Catholicæ* Ecclesiæ, sub *Christo* supremo capite & summo Pontifice.

[l] *Annot. ad Artic. 14.*

[m] *Ed. Voss. p. 6.*

Quintò, Affirmo, Ecclesiæ *Anglicanæ Reformatores*

res summâ cum prudentiâ retinuisse & conservâsse *Canonicam* Ministerii Apostolici *successionem*, nec quicquam deesse in *Ordinationibus* nostris quod vel prima *Christi institutio*, vel *Apostolica Praxis*, vel *consuetudo* & *decreta Ecclesiæ antiquissimæ* ut necessarium debitum & Canonicum unquam desideraverint. Et hanc propositionem tam contrà *Pontificios* quàm *Schismaticos* hic brevis tractatus defendendam susceptam, eamque concludet, distinctâ contra utrosque disputatione habitâ.

Pars Prima.

Defensio *Canonicæ successionis* Ministerii Ecclesiæ Anglicanæ reformatæ,

Contra *Pontificios*.

Ne præsens disputatio extra debitos terminos nimis erraret, eam duobus limitibus coerceo.

Primò Itaque, monendum est, hodiernam controversiam cum *Pontificiis* non esse de defectibus legalibus vel Canonicis circa *leviores circumstantias*, sed de *nullitate* ordinum Ecclesiæ *Anglicanæ* ob defectus *essentiales*, quam objicere solent *Pontificii*.

Secundò, Monendum præsentem tractatum non teneri probare validitatem successionis nostræ *ante Reformationem*, illa enim *supponitur*, utpote ab ipsis *Pontificiis* concessa; sed ordines quos à *Reformatoribus* recepimus, & præcipuè *Parkeriana consecrationis* validitatem, in hoc brevi tractatu defendi, *Parkerianæ* inquam consecrationis validitatem, contra quam *Pontificii* per tot annos & argumentis & conviciis huc usque frustrà disputârunt. Tota enim Methodus istius consecrationis adeò accuratè secundum *Canones* Ecclesiasticos peragebatur, ut manebit irrefragabile Argumentum non minùs prudentiæ Reformatorum quàm legitimæ successionis Cleri Ecclesiæ *Anglicanæ*.

Et

Et hujus autoritatem contra fictas *Pontificiorum* calumnias tenentur omnes *Protestantes* Ecclesiæ *Anglicanæ* tueri, ut præcipuum consummatæ Reformationis sub *Elizabethâ* fundamentum, & principalem actum quo Ecclesia nostra penitùs exterminaverit Pontificiam Tyrannidem, & suam libertatem in perpetuum vindicaverit.

Anteà rejecerat *Henricus* 8^m^ *suprematum Pontificium*, retinuit tamen Ecclesia nostra *fidem Romanam* post exterminationem *Pontificis*, & eodem *Rituali* in divinis officiis & administrandis sacramentis, quo utebatur Ecclesia *Romana*, usa est, usque ad mortem prædicti *Henrici*; & ideo statutum *Marianum* [n] formulam *Romanam* ab *Edvardo* 6to abrogatam his verbis restituit, *illam* denuò *divina officia & sacramenta administrandi* Formulam *quæ ultimo* Henrici 8^vi^ *anno in usû vulgari fuit, per totum* Angliæ *regnum & reliqua universa* Reginæ *dominia deinceps volumus usurpandam esse.* [n] 1 *Mar. Sess.* 2. *c.* 2.

Et ideò non minùs est ordines nostros, post ipsum *Henrici schisma*, probari ab ipsis *Pontificiis*, quia consecrationes usque ad *Edvardum* 6^tum^ debitè observârint ritus & ceremonias Ecclesiæ *Romanæ*; & etiam sub *Edvardo* 6to, licèt loco *Rituali Romani* novum *Ordinale* substitutum fuisset, manebat tamen quædam umbra authoritatis *sedis Apostolicæ* in *Cranmero Metropolitano* qui receperat Consecrationis facultatem, *Bullam investituræ*, & donum *Pallii* à Clemente 7mo, & ideò posteà *Paulus* 4^tus^ eum appellat *olim Archiepiscopum Cantuariensem* tum in *Bullâ commissionali*, quâ *Londinensem* & *Eliensem* Episcopum *Legatos* suos in causâ communi constituit; tum in *Bullâ Provisionis* quâ *Cardinalem Polum Archiepiscopatui Cantuariensi* præfecit: & ob hanc fortàn *virtualem* Cathedræ

thedræ *Romanæ* authoritatem *Metropolitano* noſtro inhærentem, adeò facilis erat *Cardinalis Polus* ergà ordines *Anglicanos* ſub initium *Mariæ Reginæ.*

Declarat enim, [a] *ſe omnes perſonas quæ aliquas impetrationes, diſpenſationes, conceſſiones, gratias, & indulta, tam ordines quam beneficia Eccleſiaſtica, prætensâ authoritate ſupremitatis Eccleſiæ* Anglicanæ, *licèt nulliter & de facto obtinuerint, & ad cor reverſæ Eccleſiæ unitati reſtitutæ fuerint, in ſuis ordinibus & beneficiis recepturum.*

[a] *Stat.* 1. & 2 *Phil.* & *Mar. c.* 8.

Non diſtinguit de Ordinibus ſub *Henrico* 8vo & *Edvárdo* 6to receptis, ſed de utriſque *communiter* loquitur; *nullitatem eſſentialem* non ſupponit, nec *reordinationem* poſtulat, ſed de *Nullitate Canonicâ* intelligendus eſt, tali ſcil. cujus firmitati *ex benignitate Apoſtolicâ* prövideri poterit; ſed nullibi Poteſtas eſt *legitimandi* Ordines ab initio *irritos* & *eſſentialiter Nullos.*

Sed ut omnia ſupervacanea & minùs neceſſaria in hâc diſputatione miſſa faciam, duobus limitibus præmiſſis quatuor concluſiones adjiciam.

Primò, Itaque affirmo *loco indebito* & *incongruo* ubi ritus eſſentialiter neceſſarii habentur, non reddi ordinationes *irritas* & *inanes*; & ergò ſi vera eſſet iſta *fabula* impudentiſſima *de conſecratione Parkeri in Oenopolio Londinenſi*, exinde tamen probare non poſſunt *Pontificii Nullitatem* ordinum Eccleſiæ *Anglicanæ*: licèt enim *locus ſacer*, præſertim florente Eccleſiâ, ſit *debita* circumſtantia, non tamen *de eſſentiâ* & *abſolutè neceſſaria.*

Secundò, Affirmo, ordinationes *eſſentialiter* validas irritas non fieri ob defectus quoſdam *legales* vel in *formâ* ordinandi vel *perſonis* ordinantibus; Spiritualem enim Poteſtatem ſuum *Characterem* (ut cum

ſcholis

ſcholis loquar) ubi omnia *eſſentialiter* requiſita habentur, virtute inſtitutionis & benedictionis divinæ neceſſariò imprimere conceſſum eſt, nec ipſius effectum ex methodis *legum* vel conſenſu *Magiſtratuum* pendere. Et ergò ſi concederemus illis, quod nondum probârunt, *Ordinalis Edvardi ſexti* abrogationem per Reginam *Mariam* non fuiſſe expreſsè revocatam ante annum 8um *Elizabethæ*; non tamen inde ſequeretur Epiſcopos ſecundùm formam iſtius *Ordinalis* in 1° ejuſdem Reginæ anno conſecratos non recepiſſe *Characterem* Epiſcopalem, nec fuiſſe Epiſcopos *Canonicos.* Et ergo tota iſta *juridicialis* controverſia, inter *Hornum Wintonienſem* & *Bonnerum Exlondinenſem* habita, ad præſentem diſputationem non ſpectat; ſed ex ſuperabundanti addam, non poſſe Pontificios illo argumento, ſi daremus verum eſſe quod falſiſſimum eſt, probare vel defectum *legalem* in hodierno Clero *Anglicano.* Omnis enim legalis defectus, præſertim is qui ſupremâ authoritate probante contigerit, poſſit *ex poſt facto* ſuppleri & reſarciri, etſi defectus eſſentialis nullo ſupplemento convaleſcat.

Tertiò, Affirmo nullam *formam particularem* ordinandi, conſtitutam vel conſtituendam, eſſe vel futuram adeò *eſſentialiter neceſſariam*, ut irritæ ſint omnes ordinationes per aliam celebratæ: *Chriſtum* enim nullam inſtituiſſe, nec *Apoſtolis* inſtituendi mandatum dediſſe, nec virtute authoritatis delegatæ *Apoſtolos* ullam tranſmiſiſſe, ex variâ *Praxi* & diversâ conſuetudine Eccleſiæ in hâc re per omnia ſæcula, manifeſtum eſt.

Et ideò Nos malè tractant *Pontificii*, rejiciendo Miniſterium *Anglicanum* ut *nullum* & *irritum*, quippe non ſecundùm *Pontificale Romanum* ordinatum, dum interim admittant & agnoſcant Clerum *Græcorum* con-

ſtitutum ſecundùm *Rituale Græcum*, non magis *Romanum* quam *noſtrum*, & in quo eadem deſiderantur quæ iſti in *noſtro Ordinali* deeſſe conqueruntur; de authoritate & validitate *Formæ* Eccleſiæ *Anglicanæ* infrà diſputabitur, interim tamen ſufficit dicere, argumenta Pontificiorum magis irrita & nulla fore quàm ordines noſtros, niſi ipſi probaverint *Formulam Anglicanam* in *Eſſentialibus* deficere.

Ipſum enim *Concilium Tridentinum Seſſione ſecundâ, c. 2.* aſſeruit, *hanc Poteſtatem perpetuò fuiſſe in Eccleſiâ, ut in Sacramentorum* (in quorum numero à *Pontificiis* habetur *Ordo*) *diſpenſatione, ſalvâ eorum ſubſtantiâ, ſtatueret & mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati vel ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum temporum & locorum varietate magis expedire judicaret*; quod verum eſt non modò de *totâ Eccleſiâ* in *Concilio Oecumenico* repræſentatâ, ſed etiam de *Eccleſiâ* quâvis *particulari*.

Et cùm eâ inducti authoritate *Romanenſes* novas Cæremonias excogitârint & adjecerint, licebit etiam ipſi Eccleſiæ *Anglicanæ* illas ipſas Cæremonias ob juſtas cauſas minuere & reſecare: ſed fruſtrà de his diſputatur, cùm quod olim *Innocentius* 4^tus^ aſſeruerit, ſit jam penè communis opinio *ſcholaſticorum*, *formas* ſcil. *ordinandi eſſe inſtitutionis humanæ*; mitto quòd ex hoc ſequetur *Ordinem impropriè* dici *Sacramentum*; ſatis erit ad rem noſtram exinde concludere, prædictas formas poſſe pro authoritate Eccleſiæ, Catholicæ vel particularis, mutari, corrigi, & emendari, ritus addi & verba inſeri, pro variis Temporum & Locorum circumſtantiis, manente interim ſub iſtâ varietate unâ verâ eâdemque Catholicâ Ordinatione.

Non poſſum itaque ſatis mirari impudentiam & ignoran-

norantiam *Eraſti Senioris*, Libri ſub iſto Nomine circa Annum 1662um prodeuntis contra Ordines *Anglicanos*, in quo inter alia conatur *Author Pontificius*, ex quibuſdam *verbis additis* noſtræ Ordinandi *Formulæ*, in *novâ Editione Ordinalis* poſt *Caroli* 2^di^ *Reditum* publicatâ, nos *ex confeſſo* redarguere, quaſi ſponte fatentes veterum Formarum *invaliditatem*, & irrito conamine laborantes *interruptam* Succeſſionem *ex poſt facto* reſarcire & reſtituere. At quis unquam noſtrûm dixerit, Ordines noſtros nunc *validiores* eſſe quàm olim fuerant ante noviſſimum *Uniformitatis Statutum?* quis unquam dixerit, hoc additamento Formam *eſſentialiter* mutari, aut Verba addita eſſe *de eſſentiâ* Ordinationis? *explanatiùs* dicitur in *novâ* Ordinandi formulâ (ubi manus imponuntur, quâ Impoſitione peculiare munus conferri creditur) quod anteà *manifeſtò* aliæ partes Ordinalis *innuebant*. Et ſi hoc ſit mutare *Eſſentiam* Formulæ, vel ipſi *Patres Niceni* & *Conſtantinopolitani Articulos Fidei* explanando immutârunt, & explicatiùs loquendo antiqua Eccleſiæ *Symbola* abrogârunt.

Sed quorſum de his litigemus, cùm Omnes conſentiamus, nullam eſſe Formam Ordinandi abſolutè neceſſariam, & in maximâ Formarum varietate eſſe plurimas validas, & eas etiam intereà imperfectas & emendandas: concedimus *Pontificali Romano* vel ſuam authoritatem, etſi multitudine Rituum & Cæremoniarum corrupto: nec debent illi rejicere Formam *Anglicanam*, cùm non tantùm valida videatur, ſed inter *optimas* & *validiſſimas* habenda; quippe in ipſis verbis Conſecrationis Praxi *Domini* noſtri, & in paucitate Rituum ſimplicitati primitivæ Eccleſiæ maximè conformis.

Quartò, affirmo Ordinationes *eſſentialiter* validas

non poſſe irritas reddi ob defectum conſensûs, approbationis, vel delegationis *Pontificis Romani*. Hujus authoritatem jam fateor à *Pontificiis* nonnullis tanti haberi, ut nullum actum ſpiritualem validum reputent, niſi qui virtute Poteſtatis à *Romanâ Cathedrâ* deputatæ peragatur, quaſi illa eſſet fons & origo non tantùm Veritatis Chriſtianæ, ſed etiam omnis Poteſtatis ſpiritualis, ſedes *Infallibilitatis* ſimul & *Juriſdictionis*. Et hinc eſt quod nonnulli *Jeſuitarum* affirment, nullos Apoſtolorum à *Domino Jesû* recepiſſe Paſtoralem & Epiſcopalem authoritatem præter ipſum *Petrum*, cui ſoli dixit *Paſce Oves*; cæteros verò Apoſtolos ab illo, virtute Authoritatis *Supremi Paſtoris*, in iſtam dignitatem promotos.

[p] *Theolog. Dog. de Eccleſ. Hierarc. l. 1. c. 5. n. 8*

Nec multò melius ipſe *Petavius*, [p] licèt enim fateatur *omnes Apoſtolos* emiſſos à *Domino Chriſto cum perfectiſſimâ Poteſtate, ubique terrarum ligandi & ſolvendi, Eccleſias inſtituendi, & Epiſcopos & Clericos conſtituendi*; ne quid tamen ex eo conceſſo concluderetur contra eminentiam & dignitatem *Cathedræ Romanæ*, cautè monet, hoc *eâ ratione* factum eſſe à Chriſto, *ut illa infinita Poteſtas* in cæteris Apoſtolis *extraordinaria, in Petro ordinaria eſſet, & in ejus ſucceſſores derivanda*; ut habetur in Libro Tomo 3^io^ Dogmatum Theologicorum annexo adversùs *Salmaſium*: & idem poſteà cùm dixerat [in Appendice [q] Tomi 3^ii^ adverſus *Blondellum*] Chriſtum inſtituiſſe Ordinem Epiſcoporum in locum Apoſtolorum ſurrogandum, ne paritatem indè cæteri Epiſcopi cum *Romano* vendicarent, addit inter hos ſummum cæterorum Caput eſſe *Petri* Succeſſorem, *Romanum* Pontificem.

[q] *Theolog. Dog. de Eccleſ. Hierarc. l. 3. c. 9.*

Eſt itaque ſecundùm horum ſententiam *Pontifex Romanus ſupremum* Epiſcoporum totius orbis *Caput*, *Caput capitum & Rector omnium Rectorum* Eccleſiaſticorum,

ſticorum, & omnes Eccleſiæ tenentur, idque jure Divino, Papæ Regimini ſubjici, nec debent Paſtores ullibi conſtitui niſi per Authoritatem mediatam vel immediatam à ſupremo Paſtore delegatam, in quem tota Poteſtas *Apoſtolica* devoluta eſt.

Hoc non palàm affirmat *Concilium Tridentinum*, ſatis tamen videtur innui *Seſſione* 23ia, in quâ tacitè & implicitè rejiciens omnem aliarum Eccleſiarum Juriſdictionem, limitato decreto cautè ſolùm Epiſcopos à *Romano Pontifice* conſtitutos confirmat: [t] *Siquis dixerit Epiſcopos qui Romani Pontificis authoritate aſſumuntur non eſſe vtros Epiſcopos ſed figmentum humanum Anathema ſit*: Sed quorſum hæc reſtrictio, *Patres Tridentini?* ſúntne aliarum Eccleſiarum Epiſcopi *figmentum humanum?* nonne habuit quilibet Apoſtolus æquè ac *Petrus* authoritatem inſtituendi Eccleſias & conſtituendi Epiſcopos ubique terrarum? annon aliæ Eccleſiæ à cæteris Apoſtolis fundatæ cum eâdem authoritate conſervandæ Succeſſionis quâ veſtra à *Petro?* unde itaque tota Poteſtas Eccleſiaſtica in Suprematum ſucceſſoris *Petri* devoluta? & aliarum Eccleſiarum ſucceſſiones ab unâ *Romanâ* abſorptæ? [t] Can. 8.

At hunc Suprematum ſuſpectum reddidêre vel ipſi *Romanenſes*, quoniam illum ſub variis titulis, iiſque mutuò repugnantibus vendicant; confunduntur enim Sermones ædificatorum *Novæ* æquè ac *Veteris Babylonis*, nec adhùc inter ſe conſentiunt, quo jure hæc Authoritas *Romano Pontifici* debeatur. Quod ad præſentem controverſiam ſpectat, Suprematum in Eccleſiam *Anglicanam* ſub *duplici* præcipuè *Titulo* aſſumunt, i. e. vel jure *Paſtoratûs Univerſalis*, vel *Patriarchatûs Occidentalis*. Sed malè fundatur illa cauſa, quæ iſtis principiis innititur, quæ *ſe mutuò deſtruunt*. Si habeat enim *Pontifex Romanus* jure divino *Paſtoratûs Univerſalis*

niverſalis juriſdictionem, de privilegiis *Patriarchatûs* ab Eccleſiâ conceſſis fruſtrâ quæritur: ſin verò ſit tantùm *Patriarcha* particularis, ſummæ arrogantiæ erit *Univerſalis Paſtoris* authoritatem aſſumere; qui *abſolutam* Poteſtatem vendicat, *limitatæ* renunciat: & qui *limitatæ* Poteſtatis donum urget, agnoſcit ſe nullam *abſolutam* & *illimitatam* habere. Ridiculè enim vocatur *jus humanum* in ſubſidium *juris divini*, & Poteſtas *particularis*, *limitata*, ſub legibus *reſtricta*, in auxilium *Univerſalis*, *abſoluta*, & *infinita*.

Sed ne hæc ulteriùs tractando extra debitos præſentis Diſputationis limites tranſirem, pergam probare *neutro* prædicti Suprematûs *titulo Romanum Pontificem* habere talem authoritatem in Ordinationibus Eccleſiæ *Anglicanæ*, ut irritæ ſint ſine *Papæ* licentiâ vel delegatione.

Primò, Hoc non habet jure ficti *Paſtoratûs Univerſalis*: aſſerere enim Poteſtatem delegatam à Pontifice conſtituendo Clero neceſſariam jure Paſtoratûs univerſalis, eſt negare quamlibet *Apoſtolicæ Succeſſionis lineam* præter *Romanam*: contra opinionem antiquæ Eccleſiæ, quæ ſemper agnoverit quamlibet Succeſſionem Epiſcoporum, modò ad ullum Apoſtolorum recenſum haberet, ut ſuprà probavi ex *Tertulliano* & aliis *Patribus*, quorum teſtimonium magni habendum, cùm ſit *ſacræ paginæ* conforme.

[r] Apocal. 20. 14

[s] Eph. 4. 11.

Ex hâc enim conſtat [r] *duodecim* eſſe *fundamenta muri novæ Hieroſolymæ*, & hæc eſſe *duodecim Apoſtolos Agni*, ut habet *Divus Johannes* in *Apocalypſi*. [s] *Eccleſiam ædificari ſuper fundamentum Apoſtolorum, Chriſto ipſo Lapide angulari*, ut affirmat ſanctus *Paulus* ad *Epheſios*, Apoſtolorum, non Apoſtoli, non *Petri* vel ullius ſingularis Apoſtolatûs. Apoſtoli itaque *ſimul* & *conjunctim* fundamentum conſtituunt, & dum Pontifi-

cii

ficii id honoris ſoli *Petro* & ejus Succeſſori attribuunt, videntur vel novum Fundamentum ponere, vel Suprematum Chriſti rejicere & novum *anguli Caput* ſubſtituere. Apoſtoli ſunt *duodecim portæ Civitatis cœleſtis*, quorum prædicatione cunctis gentibus Eccleſiæ introitus pandebatur, & quilibet Epiſcopus Catholicus habendus eſt qui per ullam harum Portarum æquè ac ille qui per *portam Latinam* intraverit, omnes verò qui [u] *aliunde tranſcendunt in Ovile Chriſti*, & cum hæreticis novos ſibi Apoſtolatus aſſumunt, cum *Domino* noſtro *fures* dicimus & *latrones*. [u] Joh. 10. v. 1. &c.

Secundò, Non habet *Pontifex Romanus* hanc authoritatem in Eccleſiam *Anglicanam* jure *Patriarchatûs Occidentalis*, & hoc tribus Argumentis patebit.

Primò, Quia *Britannia* ſemper erat extra debitam iſtius *Patriarchatûs* juriſdictionem, antiquitùs intra Civitates *ſuburbicarias* contentam & limitatam: & ergo Eccleſia *Britannica libera* & αὐτοκέφαλος manſit ad *Annum Sexcenteſimum*, à ſuo *Metropolitano* ſuiſque Epiſcopis gubernata; nec *Romano Pontifici* nec alii cuivis extero *Patriarchæ* ſubjecta: & ut jam, excuſſo *Romano* jugo, ſuâ libertate iterum gaudet, ita illam ſemper inviolatam conſervare & aſſerere tenetur, utpote non tantùm antiquiſſimo jure debitam, ſed etiam ſummâ totius Eccleſiæ authoritate in *Conciliis Oecumenicis* repreſentatæ confirmatam. Etiamnum enim manet *Sexti canonis Concilii Niceni* obligatio, nec debet ulla injuſta violatio vel in *Angliâ* vel alibi univerſali & perpetuæ ejus Authoritati præjudicare: poſtquam enim ſacroſancta *Synodus* in principio *Canonis* de antiquis *Alexandriæ*, *Romæ*, & *Antiochiæ* Epiſcoporum privilegiis decreverat, clauſulam addit de conſuetâ cujuſlibet Metropolitani poteſtate conſervandâ, ὃν τοῖς ἄλλοις ἐπαρχίαις τὸ πρεσβεῖον σώζεσθαι τῆς Ἐκκλησίας. *Aliarum Epar-*

Eparchiarum nomine non intelligi, cum clariſſimo *Petro de Marcâ*, tres tantùm *Provincias* vel *Diœceſes Aſianam*, *Ponticam* & *Thracicam in* 2do *Canone Conſtantinopolitano* commemoratas, ſed *quamlibet Provinciam* ubique conſtitutam, ex *Concilio* [x] *Epheſino* egregiè probatur; in illo enim Epiſcopi *Cyprii* acriter contendunt contra *Patriarcham Antiochenum*, quòd ſuas libertates invaſerat, & antiqua *Cypri* privilegia violaverat, & præcipuum *Querelæ* argumentum faciunt, quòd ſancti *Patres Niceni* in *quodam Canone*, ſcil. *citato*, *aliter decreverant*. Querelantibus aſſentit ſanctiſſima *Synodus Epheſina*, & authoritatem antiqui Canonis novâ Sanctione reſtituit & confirmat, & denuò præcipit ut non tantùm ſolita *Cypri* privilegia, licèt extra earum Cenſum quæ in *Canone Conſtantinopolitano* commemorantur, ſed aliarum etiam quarumcunque Provinciarum, ubique inviolata obſervarentur; unde conſtat *Epheſinos Patres Canonem Nicenum* non de *Româ* tantùm & *quinque illis Eccleſiis* prædictâ *Synodo* recitatis, ſed de *omnibus* omninò *Provinciis*, intellexiſſe, [ut abundè probavit Doctiſſimus *Editor Synodici* in *Annotationibus* in *Concilium Nicenum*.]

[x] Can. 8.

Sunt itaque Decreti *Niceni* authoritate conſuetæ omnium *Metropolitanorum* poteſtates & antiquæ cujuſlibet Provinciæ libertates conſervandæ: Eccleſia ergo *Britannica* libera habenda eſt, utpotè tunc temporis Eccleſia perfecta & ἀυτοκέφαλος. Súntne *Concilii Oecumenici* decreta nullius Epiſcopi particularis mandato revocanda? Manifeſtum itaque eſt *Auguſtinum Monachum*, licèt authoritate *Gregorii* Epiſcopi *Romani* fultum, præſentem Canonem tranſiliiſſe, cùm ſe & *extraneam poteſtatem* Epiſcopis *Britannicis* vi & armis obtruſerit, & eorum πρεσβεῖα & antiqua privilegia violaverit.

Súntne

Sùntne libertates Provinciæ *Cypriæ Concilio Ephesino* restitutæ, & etiam post erectas Sedes *Patriarchales*, contra *Patriarchum Antiochenum*, quippe olim nulli Potestati extraneæ subjectæ? libera itaque manere debet Ecclesia *Britannica* a *Patriarchæ Romani* jurisdictione, etsi quandoque in *Angliâ* injustam Authoritatem exercuerit, quæ non antiquitùs extra *Patriarchatûs Romani* jurisdictionem posita.

Fuerántne Episcopi *Britannici* liberi? erant etiam & Episcopi *Saxonici* intra *Angliam* constituti, virtute antiquæ libertatis Ecclesiæ *Britannicæ*, eorundem privilegiorum Hæredes, ob eandem rationem quâ Authoritas Pontificis *Romani* sequitur *Cathedræ* Suprematum non *Gentis* Pontificis.

Sùntne Ordinationes *Patriarchæ Antiocheni* intra Provinciam *Cypriam* à *Concilio Ephesino* τὸ κεκτῆσθαι τὴν τῶν πάντων ἐλευθερίαν ἀπώλεσεν adjudicatæ? quid dicendum de injusto *Pastoratûs Universalis* prætextû quo *Pontifex Romanus* quaslibet Ecclesiæ Catholicæ libertates eripere conatur? Vesúmne est *Concilium Ephesinum* restituisse Provinciæ *Cypriæ* antiquam Authoritatem Eligendi & Consecrandi *suos Episcopos*; non obstantibus vel Jure vel facto *Patriarchæ Antiocheni*, quia *de antiquo* Potestatem istam non habuisset? Authoritate itaque ejusdem *Concilii Oecumenici* debet Ecclesia *Anglicana* suis antiquis Privilegiis frui, & suum Clerum constituere & consecrare sine Licentiâ & Delegatione *Patriarchæ Romani*.

Nec contemnenda est hæc vetustissima Ecclesiæ nostræ Libertas, sed acritèr tuenda & vindicanda: μηδὲ λάθωμεν ἐλευθερίαν τοσαύτην καὶ μικρὸν ἀπολέσαντες ἣν ἡμῖν ἐδωρήσατο τῷ ἰδίῳ αἵματι ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ πάντων ἀνθρώπων ἐλευθερωτὴς, ut loquitur prædictus *Canon Ephesinus*.

Probent, ſi poſſint, *Romana* Tyrannidis vindicatores *præſcriptionem* juriſdictionis Patriarchalis *extrememoriulem*; novimus quò tempore, quâ vi, quibus artibus illa Juriſdictio hîc obtinuerit, quam jam *Hereditario paſtoratûs* jure poſtulant; probent ex *Archivis Romanis* quot vel quos Eccleſiæ *Britannicæ* Epiſcopos conſtituerit, vel conſecraverit, vel Delegatorum numerum quibus Conſecrandi facultatem dederit *Pontifex Romanus* intra ſex priora *incarnati Domini* ſæcula; oſtendant qualem Authoritatem in Eccleſias *Britannicas* prædictus *Patriarcha* exercuerit circa Concilii *Nicæni* tempora immediatè poſt ſtatas & limitatas *Patriarcharum* ſedes.

Notiſſimum eſt Eccleſiam *Britannicam* fuiſſe omnium Eccleſiaſticarum perſonarum numero abſolutam ſub initium 4ti *ſæculi*: *tres* enim *Epiſcopos* unà cum *Preſbytero* & *Diacono* ſubſcripſiſſe *Concilio Arelatenſi primo*, in *Galliâ* ante *Nicænum* habito, Acta iſtius Concilii à *Jacobo Sirmondo* edita fidem faciunt. Notiſſimum eſt circa annum Domini ſexcenteſimum *Auguſtinum Monachum* hîc inopinatò Epiſcopos ritè conſtitutos reperiſſe, tunc temporis *Romano* Epiſcopo non *ſubjectos*, quippe illi antèà prorſus *incognitos*; notiſſimum eſt Epiſcopos *Britannicos* contrà & *Romani* Epiſcopi & *Monachi* prædicti juriſdictionem, & libertates *Britannicas* aſſeruiſſe, & [1] negâſſe à ſe quicquam deberi vel *Papæ* vel illi præter *fraterni amoris obedientiam*.

[1] *Concil. Spelman. Tom. 1. p. 108.*

Notiſſimum eſt *Reges Britanniæ* olim & etiam poſt ſubjugatam à *Duce Normanniæ Angliam* Archiepiſcopis Epiſcopis & Abbatibus baculo & annulo *inveſtituras* dediſſe, facto *Homagio* (ut barbarè loquuntur *Juriſtæ* noſtri) & *fidelitatis* in Regem *Juramento* à quolibet priuſquam admitteretur, uſque ad *Anſelmum*

mum Archiepiscopum *Cantuariensem* primum post *Bullam Gregorii* 7^mi *de illegitimandis* investituris *à manû Laicâ receptis*; & notissimum etiam est *Pallium à Romano Pontifice* donatum nunquam necessarium adjudicatum ante prædictam *Gregorii Bullam.*

Non inficiamur quin *Pontifex Romanus* quandoque *aliqualem* Ecclesiasticam Jurisdictionem intra *Angliam* exercuerit; *aliqualem*, inquam, sed non *de jure*, verùm ex *consensû* & *favore* principum; *quandoque aliqualem*, sed non *continuam* & *constantem*, sed *disputatam*, *prohibitam* & *interruptam*; *quandoque aliqualem*, sed non *perpetuam* sed *revocabilem* & *revocatam.*

Jurisdictionem Ecclesiasticam inter Nos habuisse, fatemur, sed non à *Christo* & *Apostolis* vel *Ecclesiâ Catholicâ* concessam, sed fastû & fraude Pontificum & facilitate Principum assumptam atque *usurpatam.*

Cùm itaque certissimum sit libertatem Ecclesiæ *Anglicanæ* longè antiquiorem esse quàm *Pontificis Romani* jurisdictionem intra *Angliam*, & omnia Ecclesiastica jura eò præstantiora quò *antiquiora* haberi, summâ cum ratione concludendum est, innovatam Pontificis jurisdictionem justissimè *rejectam*, & Ecclesiam *Anglicanam* suis libertatibus sub antiquissimo Regum nostrorum Supremati & moderamine *restitutam.* Præcipuum Principum nostrorum *regale* sibi per annos aliquot assumpserat *Pontifex Romanus*, Jurisdictionem scil. in res & personas Ecclesiasticas; sed ea jam penitùs restituta est, quam olim, vel sub maximâ Tyrannide Pontificis, *consuetudines* & *leges* nostræ de antiquo Jure *Regibus Anglicanis* deberi declaraverant: & ideò *Statutum Supremati*s * sub *Elizabethâ* Reginâ editum hoc *titulo* inscribitur, *Restitutio antiquæ juris*dicti-

* 5 Eliz. c. 1.

riſdictionis *Coronæ Anglicanæ*; & meritò ita dicitur, quia eam Jurisdictionem ad *Coronam* ſpectâſſe, vel antiquiſſima regni noſtri *Statuta* priùs decreverant.

[z] *Matth. Paris. An.* 1164. *p.* 84 *Ed. Lond.* 1684. *Gervaſ. inter* 10 *Script. p.* 1386.

[z] *Statutum Clarendonianum* affirmat, omnes *Electiones Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, &c.* de antiquo Jure intra *Angliam* à *reſpectivis Dignitariis* faciendas eſſe, *Rege* ipſo priùs Electioni *conſentiente*, & per literas Dignitarios convocante, electo poſtea *Homagium* Regi faciente (*Juriſtarum feudalium* verbo utor) ut ſuo Supremo Domino: *Statutum Caerleonenſe* 25° *Edwardi* I^mi editum agnoſcit *Reges Angliæ olim omnium Epiſcopatuum fundatores fuiſſe, & penes illorum Succeſſores jure Coronæ etiamnum manere eandem cuſtodiam & patronatum.*

Et ideò decernit *Pontifícem Romanum* hæc ſibi aſſumendo Regem avitâ Hæreditate privare, & Eccleſiam *Anglicanam* in ſtatu Præſulum intra *Angliæ* Regnum fundatam evertere. *Statuto* 1° *proviſorum*, 25° *Edwardi* 3^ii I edito, ſancitum eſt, totius *Parliamenti* conſenſû, ut tam illi qui *proviſiones Romæ procurarent*, quàm qui illàs *exequerentur non eſſent ſub Regis protectione*, (ut loquuntur *Juriſtæ* noſtri) ſed eo loco quo *hoſtes* Regis habendi. Poſteà eodem Anno pleno *Parliamento* ſancitum eſt, ut *liberæ electiones Archiepiſcoporum & Epiſcoporum eodem modo permanerent quo à Regis Prædeceſſoribus conceſſæ & fundatæ fuerant*, non obſtantibus *Reſervationibus, Collationibus, vel proviſionibus Pontificis Romani, —quandoquidem prædictæ Electiones ſub certâ formâ & conditione à Regis Progenitoribus conceſſæ fuiſſent, ſcil. ut Eligendi venia à Rege peteretur; & poſt Electionem Regius aſſenſus adhiberetur; & iis Conditionibus non obſervatis, omnia juſtiſſimè ad primam Inſtitutionem redire deberent.* Et affirmat idem *Stat.* hæc non *de novo* decerni, ſed

[2] *c.* 22.

eſſe

eſſe *antiqua & inviolanda Coronæ Jura.* Et ideò *Archiepiſcopus* quidam *Eboracenſis ſuſpenſus* eſt pro termino Vitæ ab omnibus Archiepiſcopatûs emolumentis, quòd noluerit Clericum à Rege *Edvardo* 1° præſentatum (diu ante *Statuta proviſorum*) ad beneficium intra Provinciam *Eboracenſem* contra *Bullam proviſionalem* Pontificis *Romani* inſtituere. Hæc & plura hujuſmodi habentur in *Narrationibus Sententiarum noſtrorum Judicum,* præſertim in *caſu Caudriano* ſub Domino *Edvardo Coco* adjudicato.

Cùm itaque ex prædictis abundè pateat Reges *Angliæ* ex antiquo Jure *Supremataṁ Eccleſiaſticum* habere, & omnem Authoritatem Epiſcopalem ſub illorum moderamine intra *Angliam* exerceri; *Electiones Capitulorum* nec fieri nec valere ſine *Licentiâ Regiâ*; Pontificem *Romanum* nec in Conſecrandis nec Conſtituendis Epiſcopis unquam de Jure inter Nos Juriſdictionem poſſediſſe; patebit etiam Pontificios nec probâſſe nec probare poſſe *Nullitatem Ordinis* vel *Juriſdictionis* Epiſcoporum Eccleſiæ *Anglicanæ* ob defectum *Bullarum Pontificiarum* vel Conſecrationis vel Inveſtituræ.

Secundò, Conceſſo, quod nondum probârunt, Eccleſiam *Anglicanam* intra *Patriarchatum Occidentalem* contineri, non tamen inde licebit Pontificiis concludere, noſtræ Reformationis Epiſcopos invalidè Ordinâſſe, etſi à Pontifice *Romano rejectos* & *prohibitos.* Quia eſt communis opinio *Scholaſticorum,* omnes Ordinationes ab Epiſcopis tam *prohibitis* quàm *excommunicatis* factas, eſſe *eſſentialiter validas.* Nec contemnenda eſt hæc Opinio, quia jam *de fide* eſt apud *Romanenſes:* quippe determinatum eſt in *Concilio Tridentino,* validitatem Sacramentorum non pendere à probitate & fide Miniſtri, ut abundè probavit [b] *Vaſques.*

[b] *Parte* 3ª, *diſp.* 23.

Et

Et ideò *Eſtius* affirmat omnem Epiſcopum adeò efficacem Sacramenti ordinis Miniſtrum, ut *nullum crimen quantumvis enorme, ut ſunt Hæreſis, Schiſma, Apoſtaſia, nec ulla cenſura quantumlibet gravis, ut eſt Excommunicatio, poſſit efficere quò minùs rata & valida ſit Ordinatio ab eo facta, etiam circa eos qui ipſius Juriſdictioni non ſunt ſubjecti, dummodò legitimum* ſervet Ordinationis *ritum quoad eſſentiam Sacramenti*, & hoc ob *manifeſtam rationem*, inquit, quia *Ordinatio eſt actus pertinens ad poteſtatem Ordinis, quæ Poteſtas ſemel accepta amitti non poteſt: cæterùm quæ Juriſdictionis ſunt, ut abſolvere, & excommunicare, fruſtrà & inaniter fiunt ab eo qui vel Juriſdictionem nullam habet, vel non in eum habet quem ſolvere & ligare tentat*, ut habetur apud *Eſtium in* [c] *Sententias*.

[c] *Lib 4. Diſ. 25. cap. 3.*

Alia fatetur olim erat [d] *Magiſtri* & *Gratiani ſententia*, quæ diſtinguebat de *Hæreticis qui in Eccleſiâ Epiſcopi ordinati ſunt*, & hæreticis *qui in Schiſmate vel Hæreſi poſiti, ab illis ordinati fuerint*; & affirmabat priores *poteſtatem Ordinandi etiam cùm ſeparati fuerint habere*, alteros verò, *eâ poteſtate carere*: & hanc opinionem rejicit utpote *rationi*, ſanctis *Patribus*, & *concilio Tridentino* repugnantem.

[d] *cap. 4.*

Sed nihil jam reſtat in hac *Controverſiâ* poſt elaborata *Morini* ſcripta *de ſacris Ordinationibus*, ubi affirmat & probat per noviſſimos Quadringentos annos opinionem de validitate ordinationum per hæreticos obtinuiſſe, & per totum iſtud Tempus continuâ praxi Romanæ Eccleſiæ confirmatum fuiſſe; & ergò malè arguunt Pontificii, ex hæreſi injuſte imputatâ contra validitatem ordinum Eccleſiæ Anglicanæ.

[e] *Morin. pars 3ia ex. 5a.*

Tertiò, Ex prædictis Principiis malè *argumentantur* contra noſtros Ordines, quia ipſi *Pontificii* admiſerunt *Bonnerum*, *Heathum* & *Thurlbeium* ſub Reginâ *Mariâ*

riâ ad *exercitium* omnis poteſtatis Epiſcopalis ſine *novâ conſecratione* licèt conſecrati fuiſſent Epiſcopi *poſt rejectionem Supremat*ûs *Papæ* & *hæreſin Henrici* 8^vi (ut loqui amant *Romanenſes,*) & ergò, ipſis fatentibus, non eſt *legitimandis* ordinationibus neceſſarium ut ſit authoritas delegata à *Pontifice*: vel quod minus eſt (& tamen à nonnullis *Pontificiis* requiſitum) ut ordinantes *gratiam & communionem ſedis Apoſtolicæ* habeant, & tamen verba quæ illud innuant inſeruntur in *Bullâ Pontificiâ* pro *conſecratione Cranmeri Bononiæ* datâ An. Dom. 1532. Sic enim ſe habent verba, *Tibi ut à quocunque malueris Antiſtite Catholico* gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis *habente accitis & in hoc aſſiſtentibus duobus vel tribus Epiſcopis ſimilem* gratiam & communionem *habentibus, munus* conſecrationis *recipere valeas, concedimus facultatem.*

Cautè *Clemens* 7us bis monet *Cranmerum* de conſecratoribus *Romano-catholicis,* ſed hoc non ut neceſſarium requiſitum fuiſſe ex eo patet quòd poſtea *Clementis Succeſſores* eaſdem ordinationes ut *validas* admiſerint, quas conſtat factas poſt *rejectam gratiam & communionem ſedis Apoſtolicæ.* Licèt hæc quæ dixi ſatis eſſent non tantùm explicandæ & limitandæ præſenti Controverſiæ, ſed etiam refutandæ *Nullitati* Miniſterii *Anglicani*; ne tamen quid deeſſe videatur, duo argumenta adjiciam 1mo *Nullitatem* Miniſterii *Anglicani* à *Pontificiis* nondum probari, nec facilè probari poſſe, ex eo patet, quòd in hâc probandâ ſibi non conſtant, ſed ex variis principiis iiſque mutuò repugnantibus argumentantur: Nunc nullitatem *ordinis*, nunc *Juriſdictionis* objiciunt; nunc Epiſcopos noſtros illegitimè *conſecrari*, nunc illicitè *confirmari* & *inſtitui* volunt; *Temporale* cum *Spirituali*, *Jus Regum* cum

Jure

Jure Eccleſiæ confundentes; nunc de invaliditate *ordinalis*, nunc de defectû autoritatis in *perſonis conſecrantibus* conqueruntur; hæc *varietas* & *incertitudo* in methodo argumentationis Pontificiæ probat, nullum eſſe permanens & certum principium cui inniterentur: ſi enim haberent ullum demonſtrativum argumentum quò nullitatem Miniſterii noſtri evincerent, non tot convitia & conjecturas loco argumentorum accumularent, nec ea argumenta ſubſtituerent quæ pro varietate loci & temporis mutantur, & quæ vel ipſi *Pontificii* nunc *valida* nunc *invalida* eſſe fatentur. *Vigilium* primum, *Bonifacium* octavum, & *Clementem* ſeptimum dum *exules* & incarcerati erant, *validè* conſecrâſſe & confirmâſſe Archiepiſcopos & Epiſcopos, licèt tunc temporis in *actuali poſſeſſione Cathedræ Romanæ* non fuerint, affirmant omnes Pontificii; nolunt tamen eandem authoritatem, licèt ob ſimilem rationem, *conſecratoribus Parkeri* concedere; eum ſcilicet conſecrari, confirmari, & inſtitui in Archiepiſcopatum *invalidè* volunt, quia nullus conſecratorum *actualiter poſſideret Eccleſiam Cathedralem*, licèt omnes *charactere* Epiſcopali imbuti, & tres eorum (quem numerum *canonicè* ſufficere ipſi agnoſcunt) idem Jus ad *Eccleſias Cathedrales*, quod prædicti *Pontifices* ad *Cathedram Romanam*, habuerint; in noſtris ſcilicet *actualis poſſeſſio* requiritur, in ſuis *nudum Jus* ſufficit: *Parkerum* cæteroſque Epiſcopos ſub *Eliſabethâ* conſecratos nullas habuiſſe *Juriſdictiones* paſtorales affirmant, quippe virtute *literarum mandatoriarum Reginæ* in Curas paſtorales conſecratos, conſtitutos, & promotos; ipſi tamen agnoſcunt *Bonnerum*, *Heathum*, & *Thurlbeium* veros paſtores ſub *Henrico* octavo, (& ut tales ſub Regina *Mariâ* admiſerunt) licèt ſimili *diplomate* & eâdem Methodo quibus Epiſcopi prædicti

ſuos

ſuos paſtoratus obtinuerint; nihil feciſſe *Eliſabetham* in hâc re, quin quod priùs fecerat *Henricus* Octavus, abundè patet; mirum itaque videatur quòd *literæ Commiſſionales Henrici* apud illos valerent & effectum haberent, *literæ* vero *Eliſabethæ* illicitæ eſſent & invalidæ, cùm non tantùm *ad formam ſtatuti* prædicti *Henrici* compoſitæ eſſent, & eidem authoritati niterentur, ſed etiam ſummâ cautione ſpiritualem poteſtatem & paſtorale officium Epiſcopis *commiſſionatis* reſervarent, ut ex ipſis *literis* patet, [f] *Elizabeth Dei gratia, &c. Reverendis in Chriſto patribus Antonio Landavenſi Epiſcopo, Willielmo Barlow quondam Bathonienſi Epiſcopo, Nunc Ciceſtrenſi electo, Johanni Scory quondam Ciceſtrenſi Epiſcopo, nunc electo Hereſordenſi, Miloni Coverdalo quondam Exonienſi Epiſcopo, Johanni Bedfordenſi, Johanni Thetfordenſi, Epiſcopis ſuffraganeis, Johanni Oſſorienſi Epiſcopo, ---Quatenus vos aut ad minùs quatuor veſtrum eundem Mattheum Parker in Archiepiſcopum & paſtorem Eccleſiæ Cathedralis & Metropoliticæ Chriſti Cantuarienſis (ſicut præfertur) electum, electionemque prædictam confirmare, & eundem Mattheum Parker in Archiepiſcopum & paſtorem Eccleſiæ prædictæ conſecrare cæteráque omnia peragere quæ veſtro in hac parte paſtorali incumbunt officio juxta formam ſtatutorum in eâ parte editorum & proviſorum velitis cum effectû:* voluit enim *Regina* prudentiſſima tam Jura *Eccleſiæ* quam ſuæ *coronæ* inviolabiliter ſervari, & ideò cùm quidam calumniatores poſt editum *ſtatutum* de *ſupremati* ſugillarent *Reginam* ut authoritatem *Sacra* in Eccleſiâ *celebrandi* arrogantem, illa *ſcripto* edito* publicavit, ſe nihil aliud aſſumere, quàm quod ad Coronam Angliæ jam olim jure ſpectavit; viz. *Se ſub Deo ſummam gubernationem & poteſtatem in omnes Regni Anglicani ordines.*

[f] *Regiſtrum Confirmat.* Matth. Parker *ad fin. Operum* Bramhalli *p.* 1025.

* Queen Elizabeth's Injunctions. *A.* 1559.

dines, ſive illi ſint Eccleſiaſtici ſive Laici habere, quódque nulla extranea poteſtas ullam in eos Juriſdictionem vel Authoritatem habeat vel habere debeat; & in his ut in omnibus *ſibi conſtans* erat Regina *Eliſabetha*, utpote ſola omnium fœminarum, quæ illud *Symbolum* [*ſemper eadem*] meruerit. Promiſſis ſtetit, & diligenter curavit ut omnia accuratè fierent prout in prædicto ſcripto declaraverat; adeò ut nunquam fuerint intra *Angliam* Eccleſiæ Jura minùs violata, nec *Canones* antiqui magis obſervati, præſertim in eligendis, conſecrandis & conſtituendis Epiſcopis quàm ſub *Eliſabethæ* Regimine; nec quicquam vidi adhuc ſcriptum contra Epiſcopos *Eliſabethanos*, quin magis probet nullitatem *argumentationis pontificiæ* quàm *Miniſterii Anglicani*.

Concedatur *Eraſto Seniori ſimplices Epiſcopos nullam habere Juriſdictionem Metropoliticam nec quenquam dare poſſe niſi quod* habuerit; eam tamen *Parkerum* habuiſſe immediatè poſt conſecrationem in Archiepiſcopatum *Cantuarienſem*, licèt à *ſimplicibus Epiſcopis* conſecratum, certiſſimum eſt, non virtute *Characteris* Epiſcopalis à manibus Epiſcoporum recepti, ſed virtute *nominationis Reginæ* & *electionis Capituli*, quæ doni ſpiritualis *exercitium* ad *Cathedram Metropoliticam* determinabant. Quid ſi concedatur antiquos Canones conſtituiſſe ut nulli Epiſcopi intra provincias *ſine licentiâ Metropolitani*, nulli Metropolitani *ſine licentiâ Primatis*, nulli Primates *ſine licentiâ Patriarchæ* conſecrarentur? non obſtante tamen hâc conſtitutione *Primates nulli Patriarchatui ſubjecti* poſſunt Canonicè à *quibuſlibet Epiſcopis* conſecrari, quibus iſtud officium *ſuprema authoritas Civilis* delegaverit. Concedatur illis iſtam Regulam communitèr obtinere, quòd quilibet in ſpirituale officium aſſumendus ſit, vel à ſupe-

ſuperiore Eccleſiaſtico eam authoritatem *eminentèr* continente, vel virtute *facultatis* à ſuperiore conceſſæ, quibuſdam authoritatem & juriſdictionem communicandam *actualitèr poſſidentibus*; nolumus tamen concedere id *neceſſariò & ubique*, requiri, niſi ipſe *Eraſtus Senior*, qui adeo ineptè argumentatur, probaverit ubi reſideat *Paſtoratus Univerſalis, vacante papatû*; quo nihil *Superius*, & cui nihil *æquale* ipſi *Pontificii* affirmant.

Sed ut hæc concludam, certiſſimum eſt, *Pontificios* in totâ hâc controverſiâ rixari, & de nihilo litigare, utpote magis ſollicitos de authoritate Cathedræ *Romanæ* quàm de iis ritibus quos Eccleſia Catholica ut eſſentialitèr neceſſarios in omnibus ordinationibus requiſiverit; & ergò *Ordinale* Anglicanum ab illis nunc *validum* nunc *invalidum* habetur, prout *aſſerendo* vel *negando* authoritas *Cathedræ Romanæ* promoveatur. *Cardinalis Polus* ſub initium *Mariæ Reginæ*, ut ſuprà notavi, promiſit ſe *ex ſedis Apoſtolicæ benignitate* proviſurum in omnibus tam *ordinibus* quàm *beneficiis*, modò illi qui ea prætextû *ſuprematûs Eccleſiæ Anglicanæ* obtinuerant in *gratiam & communionem ſedis Apoſtolicæ redirent*; proviſionem ſine *reordinatione* ſpondet, & ergò tunc temporis *Ordinale Edvardi* ſexti non habebatur *eſſentialitèr invalidum*; poſteà verò, & etiam *regnante Mariâ*, conſtat *Bonnerum* alióſque *Martyromaſtigas* alitèr ſenſiſſe; noluerunt enim Clericis *Proteſtantibus* vel *cremandis* ſolitas *degradandi* cæremonias concedere, niſi iis quos ſecundum ritus *pontificalis Romani* ordinatos noverant: ex quibus abundè ſequitur, *Pontificios* in probando *nullitatem* Miniſterii *Anglicani* nec *ſibi* conſtare nec ſuis *principiis*.

Omnia quæ reſtant in hâc controverſiâ unico argumento comprehendam.

Illud Miniſterium eſt eſſentialiter validum & Canonicum in cujus ordinibus omnia eſſentialia & neceſſariò requiſita habentur, ſed tale eſt Miniſterium Eccleſiæ *Anglicanæ* reformatæ, Ergo. De *Majore* nulla eſt inter nos & *Pontificios* controverſia; *minor* facilè patebit, enumerando ea quæ apud *Scholaſticos* ordini *eſſentialia* habentur, quæ *tria* ſunt: debita *materia*, debita *forma*, & debitus *Miniſter* ordinis: hæc omnia in ordinibus noſtris haberi per partes probabo. Primò de *materiâ*.

Sed magna eſt controverſia inter *Scholaſticos* de *materiâ* ordinis; *Bellarminus* [g] affirmat *manûs impoſitionem eſſe Materiam eſſentialem* ordini, & argumenta quæ pro ſuâ opinione contra aliorum *Scholaſticorum* ſententias *ex principiis Pontificiis* urget, non ſunt contemnenda.

[g] *De Sacram. Ordinis L. 1. c. 9.*

Primò, Difficile erit probare ordinem eſſe *Sacramentum propriè dictum* niſi hoc concedatur; impoſitio enim manuum eſt ſolum *externum ſymbolum* quod reperitur in ſacrâ ſcripturâ, ſed neceſſarium eſt ad omne Sacramentum propriè dictum ut ſit aliquod *externum ſymbolum* divinæ inſtitutionis.

Secundò, Sanctus *Paulus dicit per manûs impoſitionem dari gratiam, ergo manûs impoſitio eſt pars eſſentialis* iſtius *Sacramenti*, donum enim *gratiæ promittitur cæremoniis eſſentialibus* non *accidentalibus*.

Tertiò, Impoſitio Manuum in ſacrâ ſcripturâ ordini attribuitur non ut commune aliquod ſymbolum, ſed ut illi *proprium, eſſentiale* & *neceſſarium*; quaſi enim totum ordinationis contineret, χειροθεσια ſæpe pro ipsâ ordinatione ponitur, ut bis in *Epiſtolis* Sancti *Pauli* ad *Timotheum*: [h] & ergo *Synodus* [i] *Carthaginenſis* quarta Presbyterum ordinari dicit *Epiſcopo eum benedicente* & *manum ſuper caput ejus tenente*, eo

[h] 1 Tim 4 14. 2 Tim. 1. 6.
[i] *Cap.* 3.

deno-

denotans impoſitionem manuum eſſe *præcipuam* ordinis cæremoniam.

Sed *Eſtius* [k] Negat impoſitionem Manuum *totam* eſſe materiam eſſentialem Sacramenti ordinis, & ideò cùm Scriptura de *illâ ſolâ* mentionem faciat, vult *alias* cæremonias ſubintelligi; impoſitio enim Manuum, inquit, eſt *communis aliorum Sacramentorum* ritus, ut *confirmationis* & *abſolutionis*, æquè ac ordinis; ergò *ſola* non conſtituit eſſentialem materiam hujus Sacramenti, ſed conjunctim cum precibus & aliis cæremoniis *partem* materiæ eſſentialis conſtituit; ſaltem cum *precibus*, eas enim affirmat neceſſariò requiri in hoc Sacramento; cùm enim adhibitæ fuerint in ordinationibus *Diaconorum*, (*Actorum* ſexto) in *aliis* etiam ordinationibus, licèt *ſcriptura* de illis taceat, olim adhibitas fuiſſe & etiamnum adhibendas eſſe concludit: ſed impoſitionem manuum nec *ſolam* materiam eſſentialem *nec ſemper abſolutè neceſſariam* fuiſſe conatur probare ex *reſcripto Gregorii* noni, ubi Sacramentum ordinis *iterari* prohibet etſi manuum impoſitio fuerat *omiſſa*, ſed vult *ſtatuto tempore ſuppleri quod per errorem extitit prætermiſſum*: ut eſt in libro primo *decretalium* in *titulo* de *Sacramentis non iterandis*. [l]

[k] *In Lib 4. ſentent. Diſt. 24. c. 24.*

[l] *Cap. Presbyter.*

Sed miſsâ hâc controverſiâ Eccleſiaſticâ, ſit impoſitio manuum cum *Bellarmino* tota materia eſſentialis, vel cum *Eſtio* una *pars* ſed *imperfecta* ſine *precibus* annexis; certiſſimum eſt eam accuratè adhiberi cuilibet ordini ſecundum *Ordinale Anglicanum* conferendo; In *formâ conſecrandi Epiſcopos* immediatè poſt *orationem pro Gratiâ Epiſcopali* requiritur *impoſitio Manuum*; *tum Archiepiſcopus & Epiſcopi qui aderunt, electo in Epiſcopum coram ipſis in genua provoluto* manus imponent. In *formâ ordinandi Presbyteros* immediatè poſt *orationem pro gratiâ presbyteratûs* impo-

impoſitio manuum præcipitur: *hâc finitâ oratione, Epiſcopus cum Presbyteris ibi præſentibus manus ſuas imponant unicuique ſucceſſivè ad presbyteratum ordinando humillimè in genua provoluto:* In *formâ* etiam *ordinandi Diaconos*, licèt non immediatè *poſt orationem* præcipiatur impoſitio Manuum, tamen præcipitur, & eam *preces* præcedunt & ſequuntur; *tunc Epiſcopus ſingulis humiliter genua flectentibus ſucceſſivè manû impoſitâ dicet*, &c. Ut abundè patebit conſulenti *Ordinale* noſtrum.

Secundum *eſſentialiter requiſitum* Sacramenti ordinis eſt debita *Forma*; licèt enim nulla forma *particularis*, ut ſuprà probavi, ſit *eſſentialiter neceſſaria*, neceſſarium tamen eſt ut ſit quædam *Forma* (viz.) *Verborum* quæ ad *poteſtatem* Ordinis conferendi exprimendam ſit accommodata: cùm *Chriſtus* enim mandavit per Apoſtolos ut crearentur Miniſtri, *implicitè* juſſit *Verba adhiberi idonea*, quæ dati Ordinis *poteſtatem* complecterentur & ſignificarent, & iſta Verba quatenùs datam Poteſtatem denotent, ſunt iſtius Ordinis (ut cum *Scholaſticis* loquar) *Forma eſſentialis*; & hoc etiam haberi in *Ordinali Anglicano* abundè patet.

In *Formâ Ordinandi Diaconos* ſunt Verba iſti officio ſignificando accommodatiſſima; *Accipe poteſtatem fungendi Officio Diaconi in Eccleſiâ Dei, quod tibi Officium committitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Præterea ut pleniùs intelligantur illius Officii partes & privilegia, *tradit ei Epiſcopus Novum Teſtamentum*, dicens, *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſiâ Chriſti, & illud prædicandi ſi ad id fueris admiſſus ab ipſo Epiſcopo:* quantò meliùs hoc ad exprimendum officium Diaconi quàm Verba *Pontificalis Romani*, [m] *Accipe poteſtatem ad robur & ad reſiſtendum Diabolo & Tentationibus ejus*; nihil peculiare in his Verbis

[m] Rome Ed. An. 1611. p. 34

Verbis quod denotet *Officium Diaconi* nec quicquam confertur quin quod *quilibet Chriſtianus* receperit in ſuo *Baptiſmo.*

In *Formâ Ordinandi Presbyteros* ſunt Verba palam denotantia Officia & Jura *Presbyteratûs, Accipe Spiritum Sanctum in Officium & Opus Presbyteri in Eccleſiâ Dei, jam tibi commiſſum per Impoſitionem noſtrarum Manuum; quorum peccata remittis remittuntur iis, quorum retines peccata retinentur; & eſto fidelis Verbi Dei & ejus Sacramentorum Diſpenſator; in Nomine Patris, Filii, & Spiritûs Sancti.*

In *Formâ Conſecrandi Epiſcopos,* Forma *conſecrativa* eſt ſatis idonea licèt cæteris obſcurior, *Accipe Spiritum Sanctum in Opus & Officium Epiſcopi in Eccleſiâ Dei, jam tibi commiſſum per Impoſitionem noſtrarum Manuum; in Nomine Patris, Filii, & Spiritûs Sancti; ac memento ut reſuſcites Gratiam quæ tibi data eſt per hanc Manuum noſtrarum Impoſitionem; non enim dedit Deus nobis Spiritum timoris ſed virtutis & ſobrietatis;* hæc ſunt verba Sancti *Pauli* ad [n] *Timotheum,* & ergò optimè denotant *Gratiam* & *Authoritatem Epiſcopalem; Timotheus* enim ab antiquis *Patribus* proponitur ut illuſtriſſimum Exemplar Officii *Epiſcopalis,* tam in conſtituendis & corrigendis Epiſcopis & Presbyteris, quàm in Regendo toto Grege, & ideo *Oecumenius* de mandatis *Pauli Timotheo* datis loquens ait, ὁ ὃ Τιμοθεῳ μόνῳ ἀλλὰ καὶ πασι τοῖς Ἐπισκόποις.

[n] 2 Tim. c. 1. v. 6, 7.

Sed quædam ſunt quæ *Pontificii* objiciunt contra Validitatem *Formarum* Eccleſiæ *Anglicanæ.*

Primò objiciunt, Formas Ordinandi in *Ordinali Anglicano,* præſertim eas de Ordinandis *Epiſcopis* & *Presbyteris,* eſſe nimis *obſcuras* & *indeterminatas,* & nulla habere Verba idonea, quæ dati Ordinis *poteſtatem* complectuntur & denotant, prout neceſſariò requiritur in *Formâ*

Formâ eſſentiali ordinis; illud enim, *Accipe Spiritum Sanctum*, nullum Officium *peculiare* deſignat; nec erat determinatum in *antiquâ Formâ*, ut jam eſt in novâ emendatâ & correctâ à *Convocatione* habitâ Anno milleſ. ſexenteſ. ſexageſ. ſecundo; & ergò etiamnum manet *Succeſſio* Eccleſiæ *Anglicanæ interrupta*, nec poſſit *ex poſt facto* reſarciri.

Iis quæ dixi ſuprà, de Officio Epiſcopi ſufficientèr denotato in ipsâ Formâ, addo, Officium deſignatum ſatis ſupérque per totam Formam vel *antiqui Ordinalis* non emendati deſcribi. Primò, *Perſona conſecranda præſentatur* ſub nomine *Epiſcopi Electi*; *Literæ Regiæ* de eo Conſecrando *in Epiſcopum* leguntur; *Juramentum Canonicale* ei adminiſtratur ut *Epiſcopo* Electo; preces pro eo funduntur ut ad Officium *Epiſcopale* vocato; ab *Archiepiſcpo* vel ejus *Deputato* de pluribus ad munus *Epiſcopale* ſpectantibus rogatur; ultimò poſt Manuum impoſitionem & Verba Conſecrativa, traditis Bibliis monetur Perſona Conſecrata, de exercitio *Officii paſtoralis*, quod ſemper apud Veteres *Epiſcopatum* ſignificavit; inauditus enim erat *Parochorum paſtoratus* ante hujus ſæculi & præcedentis Delirium: ſunt etiam ſimilia verba quæ ſatis deſignant Officium *Presbyteratûs* in *Formâ Ordinandi Presbyteros*.

Secundò, Hæc verba *accipe Sanctum Spiritum* optima habenda ſunt, quia denotant veram *Originem* & *Fontem* omnis *poteſtatis Eccleſiaſticæ*; *multa ſunt dona*, *ſed idem* Spiritus, inquit Sanctus *Paulus* [a] *de Donis Miniſterialibus* loquens.

[a] 1 Cor. 12.4.

Tertiò, Hæc verba meritò habentur in Formâ noſtrâ quia ſunt ipſa Formula *Domini Chriſti* [b] quâ miſit ſuos *Apoſtolos*; & ergò accommodè inſeruntur in *Formâ Conſecrandi Epiſcopos*, quos *Pontificii* agnoſcunt loco *Apoſtolorum* ſurrogatos.

[b] Joh. 20. 22.

Quartò,

Quartò, *Accipe Sanctum Spiritum* esse optima & debitissima Verba Consecrativa, ipsum *Concilium Tridentinum* videtur satis innuisse, *Sessione* vicesimâ tertiâ, *Canone* quarto, *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustrà Episcopos dicere,* Accipe Spiritum Sanctum: *aut per eam non imprimi Characterem: Anathema sit.*

Sed *Pontificii* præcipuè impugnant nostram Formam Ordinandi *Presbyteros,* eámque summâ cum confidentiâ pronuntiant penitùs *invalidam,* quià ne verbum quidem in eâ de *Sacrificio* Evangelico, nec de Potestate concessâ Sacerdotibus *offerendi Corpus Domini Christi*: quæ Verba jam necessariò interponenda esse in Formâ Ordinandi *Presbyteros* affirmant *Pontificii,* utpote quæ sola sufficiunt significare & conferre potestatem *Sacerdotalem,* & ideò *Concilium Florentinum* [q] decernit *Presbyteratum tradi per Calicis cum Vino & patinæ cum Pane porrectionem.* Et *Florentino* adjicit Concilium *Tridentinum* infallibilem veritatis Pontificiæ Canonem, sic enim decrevit *Sessione* vicesimâ secundâ, *Canone* secundo: *Si quis dixerit illis Verbis* [*hoc facite in meam Commemorationem*] *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinâsse ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum*; *Anathema sit.* Ut his omnibus dilucidè respondeam,

[q] *Decret. Eugen. Papæ ad Armenos Concil. Labb. & Cossart. Tom. 13. col. 538*

Primò, Concedo cum Doctissimo *Masono,* si probaverint *Pontificii* nos nullos habere veros *Sacerdotes* actum fore de Ministerio *Anglicano,* nemo enim Verus Episcopus nisi etiam sit Verus Sacerdos.

Secundò, Nego adeò exploratum esse quod *Concilium Tridentinum* decrevit; hæc Verba enim, [*hoc facite,*] videntur *omnes* Sacramenti *actus* respicere & denotare, actus scilicèt tam *Recipiendi* & *Edendi,* quàm *Benedicendi* & *Consecrandi*; Verba enim hæc dicuntur

Apoſtolis, [s] etiam *ut convivis*; & illo Præcepto tenentur *fideles accipere & comedere in Commemorationem Domini*, ſicut tunc fecerunt *Apoſtoli*; quemadmodum *Sacerdotes* tenentur *panem accipere & gratias agere, panémque frangere & diſtribuere*, ſicut tunc fecit *Dominus*; & ergò multò probabilius eſt hæc Verba potiùs continere Præceptum *de perpetuando* hujus Sacramenti *uſû*, quàm Formam *inſtituendi Sacerdotes*, & novum *Miſſæ Sacrificium*; ineptiſſimum enim eſt, interpretari verbum *Facite*, ſenſû *Sacrificatorio*, cùm nullâ in toto reliquo Textû ſit *Sacrificii* aut *Oblationis* mentio. Nec debent *Pontificii* adeò acritèr contendere pro *hâc Formâ*; non obſtante enim *Concilio Tridentino* Canone eâ non utitur *Romana Eccleſia*, ſed alia Verba, loco [*hoc facite*] ſubſtituit (*viz.*) [t] *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, & celebrandi Miſſam pro vivis & mortuis.*

[s] 1 Cor. 11. v. 25, 26.

[t] Pontif. Rom. Ed. Rom. An. 1611. p. 48.

Tertiò, Affirmo, *Pontificios* dum in Formâ Ordinandi Presbyteros aſſerunt neceſſitatem Verborum quæ denotarent *Sacrificium Miſſæ*, nec *ſibi conſtare* nec *ſuis principiis*.

1mo enim, certiſſimum eſt, & à Doctiſſimis *Pontificiorum* conceſſum, nec Verba quibus jam utitur *Pontificale Romanum* nec ſimilia reperta fuiſſe in *antiquis Ritualibus* [u] ante Annos *ſeptingentos* vel *octingentos*; & ergò Argumentum *Pontificiorum* æquè valebit contra omnes Ordinationes ſine hâc Formâ *antè*, quam contra noſtras *poſt eam inſtitutam*, & ſic Succeſſio *Romanæ* Eccleſiæ æquè fuerit *interrupta*, ac noſtra.

[u] Morinus de ſacris Ordinationibus Par. 2. p. 319 & 329.

2do, Nihil reperitur in Formâ Ordinandi apud *Græcos* quod talem poteſtatem in Sacerdotes collatam denotet, & tamen *Græci* Authoritate *Bullæ Urbani Octavi* habent Publicas Eccleſias *Romæ*, ubi Sacerdotes ſecundùm *Græcum Rituale* conſtituunt, & à *Pontificiis* validè conſtituere creduntur.

Quar-

Quartò, Hujusmodi Formæ *necessitas* malè asseritur, quia abundè constat nec tale *Sacerdotium* nec tale *Sacrificium* dari, quale *Pontificii* vellent, sub *Evangelio*.

Primò, Nullum tale *Sacerdotium*: Patres *Tridentini* suum Sacerdotium, quod appellant *Sacerdotium Novi Testamenti*, videntur referre ad *Ordinem Melchizedec*; sed imperitè & sacrilegè.

1mo enim, Sacerdotium *Novi Testamenti secundum Ordinem Melchizedec* non convenit *pluribus* sed *uni Christo*, & per hoc distinguitur à Sacerdotio *Aaronico* in *Epistolâ* ad [u] *Hebræos*. [u] Cap. 7. v. 23.

2do, *Unus* ille *Sacerdos* nullos habet *Successores*, *in æternum* enim habet suum *Sacerdotium*, [x] ἀπαραβατον ἱερωσυνην. [x] Cap. 7. v. 24.

3^tio, Nulli *peccatori* aut *infirmitatem habenti* convenit vel convenire potest *hoc Sacerdotium*; & hæc duo patent ex prædicto [y] *Capite* ejusdem *Epistolæ*. [y] Cap. 7. 25, 26, 27.

Secundò, Tale Sacrificium, quod quotidiè & frequenter offeratur, repugnat *Sacræ paginæ*, ubi de *Sacerdotio Melchizedeciano* loquitur.

1mo, Sub isto sacerdotio est tantùm *unum sacrificium* non *plura*: & hoc disertissimè affirmat Sanctus *Paulus*; est [z] *unica* tantùm *oblatio* Christi *quâ consummavit in sempiternum sanctificatos*. [z] Heb. 10. v. 12, 14.

2do, *Sacrificium* est ipse *Sacerdos*, qui [a] *per spiritum semetipsum obtulit inculpatum Deo*. [a] Heb. 9. 14.

3^tio, Hoc sacrificium non quotidiè neque sæpe, [b] οὐ κατ' ἡμεραν, οὐδε πολλακις offert, sed illud semel ἅπαξ, ἐφαπαξ, obtulit, nunquam posteà offerendum. [b] Heb. 7. 27. 10, 11, 12.

4to, Post illam unicam oblationem semel peractam nullus est locus relictus ulli Novæ sive hujus sive alterius cujuscunque sacrificii oblationi pro peccatis:

catis: [c] μία θυσία *unica victima*, [d] μία προσφορὰ ἐφάπαξ, unica oblatio ſemel facta; [e] οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας, *non eſt amplius oblatio pro peccato*; id eſt, neque *alia res* eſt quæ in propitiationem *offeratur*, neque alius *actus* oblationis propitiatoriæ; & ergò nullum *ſacrificium miſſæ*: ideóque ſanctus *Chryſoſtomus* in decimum ad *Hebræos*, poſtquàm quod in Eccleſiâ peragitur θυσίαν nominâſſet, continuò ſubjungit, ſive *explicationis* ſive potiùs *correctionis* loco, μᾶλλον δὲ ἀναμνησιν θυσίας. Cùm ergò adeò manifeſtum ſit, nullum eſſe *propriè dictum ſacrificium* ſub Evangelio, præterquàm quod *ipſe Chriſtus in cruce obtulerit*, fruſtrà diſputatur de verbis ſignificantibus *poteſtatem ſacrificandi* in formâ ordinandi ſacerdotes Evangelicos.

c Heb. 10. v. 12
d V. 14.
e V. 18.

Tertium, quod reſtat, *eſſentialitèr requiſitum* à *ſcholaſticis*, eſt debitus *miniſter* ordinis; & per debitum *miniſtrum* ordinis, eum intelligo qui, iſtam poteſtatem ordinandi receperit in *lineâ ſucceſſionis Apoſtolicæ* per ordinariam collationem ab iſtiuſmodi *officiariis* Eccleſiaſticis quos *Apoſtoli* ad iſtud miniſterium deſignârunt; at certiſſimum eſt ex antiquo jure & Apoſtolicâ inſtitutione (origo enim iſtius conſuetudinis alibi non extat) *Epiſcopum* ſemper fuiſſe debitum *miniſtrum* ordinis, nec quenquam olim in Eccleſiâ admiſſum fuiſſe ad *ullum gradum* Miniſterii Evangelici ſine impoſitione manuum *Epiſcopalium*; & ergò Eccleſia noſtra *Anglicana* pro ſolitâ ſuâ conformitate ad Eccleſiam *primitivam* antiquum retinet ordinis Miniſtrum, nec quemlibet permittit Eccleſiaſtico munere fungi niſi cui priùs manus *Epiſcopales* impoſitæ fuerint; & hoc neceſſariò & eſſentialitèr requiri, ſatis videtur innuiſſe in ſuâ *Ordinalis Præfatione*; poſtquam enim in eâ decreverat, *neminem pro legitimo Epiſcopo, Preſbytero,*

bytero, aut Diacono haberi, niſi priùs examinatum, probatum, & admiſſum, ſecundùm ſequentem Ordinalis Formulam; *Exceptionem* addit, *aut ſanè Epiſcopalem ordinationem aut conſecrationem* priùs *habentem*; ut ſcilicèt ſalva ſervaret debita jura *ordinationis Epiſcopalis ubicunque* habitæ, & Juſta Privilegia Cleri iſtarum Eccleſiarum ubi debitus *Miniſter* ordinis retineatur.

Sed cùm nulla ſit inter nos & doctiſſimos Eccleſiæ *Pontificiæ Scholaſticos* controverſia de *Miniſtro* ordinis; ſupervacaneum erit in hâc parte tractatûs ulteriùs de validitate & neceſſitate hujus Miniſtri diſputare; id *infrà* probandum relinquam, ut præcipuam *Schiſmaticorum* querelam contra Eccleſiam *Anglicanam.*

Et cùm ex his quæ dixi abundè pateat, nec deſuiſſe nec deeſſe in *ordinationibus Anglicanis* vel validam ordinandi *Formam*, vel ſufficientem in *ordinantibus Authoritatem*; concludam contra *Pontificias nullitatis calumnias*, Eccleſiam *Anglicanam* olim habuiſſe & etiamnum habere Miniſterium *verum*, *Canonicum* & *Apoſtolicum.*

PARS

PARS SECUNDA.

Initâ *primâ* hujus diſputationis parte contra *Pontificios*, ſequitur *ſecunda* contra *ſchiſmaticos*; qui licèt ex aliis *principiis* argumententur, ſimili tamen *odio* perſequuntur, nec minoribus *calumniis* conviciantur Miniſterium Eccleſiæ *Anglicanæ*. *Pontificii* Miniſterium noſtrum *defeciſſe* affirmant, quòd *ſecedendo* ab Eccleſiâ *Romanâ* antiquam ſucceſſionem interruperit; hi *Antichriſtianum* volunt, quòd nondum *longiori ſeceſſione* noſtri Miniſterii ſucceſſio interrupta fuerit: *illi* Eccleſiam noſtram *Schiſmaticam* dicunt, quòd injuſtas *Romani Pontificis conſecrationes* & *inveſtituras* rejecerit; *hi Antichriſtianam*, quòd *ſacros ordines*, quos ſecundùm ritus & conſuetudines antiquæ Eccleſiæ receperit, nondum mutaverit: *illi* rejiciunt Miniſterium noſtrum, quòd *nullos* habeat Epiſcopos *ritè & canonicè* conſtitutos; hi, quòd *tales* habeat quos illi deeſſe conqueruntur: illi nos *Hæreticos* vocant, quia non ſumus *ſatis Pontificii*; hi *Antichriſtianos*, quippe *totos Pontificios*: illi noſtram Eccleſiam calumniantur, quòd *Romanam Tyrannidem* rejecerit; hi, quòd nondum conſenſerit *antiquæ Eccleſiæ Catholicæ conſuetudines* rejicere: illi denique Miniſterium *Anglicanum* nullum appellant, quia non ſecundùm ritus *Pontificalis Romani* ordinatum fuerit; hi Antichriſtianum, quo-

quoniam debitum ordinis *Ministrum Ordinale Anglicanum* retinuerit, & ad cujuslibet ordinis consecrationem *manuum Episcopalium impositionem* requisiverit. Contra *illos* suprà dixi satis; ut *hos* verò & ipsorum calumnias refellam, summam eorum quæ infrà dicentur in unam *propositionem* compingam.

Illud Ministerium non est *Antichristianum* quod, tam quoad *numerum* Ordinum Ecclesiasticorum, quàm quoad *Ministrum* Ordinis, *Scripturas* accuratè observat, & *antiquas* Ecclesiæ Christianæ *consuetudines*; sed Ecclesia *Anglicana*, tam quoad *numerum* ordinum Ecclesiasticorum, quàm quoad *Ministrum* Ordinis *Scripturas* accuratè observat, & *antiquas* Ecclesiæ Christianæ *consuetudines*, ergò.

Quoad *Numerum* Ordinum affirmo, cum Ecclesiâ nostrâ in *præfatione Ordinalis*, *Cuivis sacras Scripturas & veteres Scriptores perlegenti, perspicuum esse, jam inde à temporibus Apostolorum* tres *in Ecclesiâ Christi* Ministrorum Ordines *extitisse*, Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Et hîc non negant adversarii, nec cum ratione negare possunt, in Ecclesiâ *Judaicâ* tres olim fuisse personarum consecratarum *Ordines*, ab ipso *Deo* constitutos, *Pontificem*, *Sacerdotes*, & *Levitas*; nec negant consimiliter fuisse in Ecclesiâ *Christianâ*, *Christo superstite*, eundem sacrorum Ordinum *numerum*. Primus, erat *Christus*, qui vocatur ἀρχιερεὺς à sancto *Apostolo* ad *Hebræos*; [a] secundus, *Apostoli*; tertius, *septuaginta discipuli*; quos etiamsi nec Apostoli ordinabant, nec regebant, eos tamen fuisse Apostolis *inferiores*, ex *Scripturis* luculenter patet.

[a] Heb. 4.14.

Tota quæstio est, an Apostoli, Christo à mortuis suscitato, *Domini* sui loci in Ecclesiâ conservatores facti, eundem ordinum *numerum* observârint & instituerint. Hoc probari volunt nonnulli Doctissimi viri

ex

ex *Epistolâ Pauli* ad *Philippenses*, [b] ubi hæc verbâ habentur. *Paulus & Timotheus servi* Jesû Christi *omnibus sanctis in* Jesu Christo, *qui sunt* Philippis, *cum* Episcopis *&* Diaconis: quo versiculo aiunt duos *primi ordinis* commemorari, *Paulum* scil. & *Timotheum*; primò, *Paulum* authoritate indutum *Apostolicâ*, [dignitatis *Episcopalis* Archetypâ] *Apostolatus* enim Ἐπισκοπὴ vocatur in *Actis* [c] *Apostolorum*: secundò, *Timotheum*, quem authoritatem *Episcopalem* habuisse, authoritatem scil. *ordinandi* & *regendi Presbyteros*, ex *Epistolis* sancti Pauli ad *illum* scriptis abundè constat.

[b] Phil. 1. 1.

[c] Act. 2. 20.

Reliqui etiam *duo Ordines* habentur in ultimis verbis ejusdem Versiculi [*cum* Episcopis *&* Diaconis,] qui ita sentiunt, sub *Episcoporum* nomine volunt *Presbyteros* indigitari, authoritate *Chrysostomi* & *Theodoreti* nixi, præcipuè verò *Theodoreti*, qui affirmat istis temporibus Personas sacras quibus Ordinandi & res Ecclesiasticas administrandi Potestas demandata fuerat vocatos *Angelos* & *Apostolos*, licèt non propriè de Apostolorum *numero*. Primum probat de Episcopis *Asianis* ex [d] *Apocalypsi*; secundum de *Epaphrodito Philippensium* Episcopo, quem *Paulus* ad *Philippenses* [e] *Apostolum* vocat, Ἐπαφρόδιτον τὸν ἀδελφὸν καὶ συνεργὸν καὶ συστρατιώτην μου, ὑμῶν δὲ Ἀπόστολον· quod per [*Apostolum*] reddendum est, etsi *Versio* nostra *Anglicana* in illo, ut in multis aliis locis, pessimè secuta *Latinam Bezæ Versionem* [Mollinger] transtulerit.

[d] Apocal. c. 1. & 2.

[e] Philipp. 2. v. 25.

Sed frustrà ex Opinione *Veterum* hunc Locum interpretantium argumentor; cùm facile sit ex *adversariorum concessis* quod erat probandum demonstrare: cùm enim concedant per *Episcopos* & *Diaconos* in prædicto loco intelligi duos *distinctos* Ordines *infra Apostolatum*, & *Timotheum* affirment, licèt non *Apostolum*, habuisse

Authoritatem duobus iſtis Ordinibus *ſuperiorem*, & eandem quam Eccleſia hodierna *Epiſcopalem* appellat; dederunt nobis Argumentum inſolubile, quòd fuerint tunc temporis *tres* Ordines Eccleſiaſtici *inſtitutionis Apoſtolicæ* in Eccleſiâ *Apoſtolicâ*. Olim in Sæculo *Apoſtolico* ſecundùm *Theodoretum* dicti ſunt *Apoſtoli*, *Epiſcopi*, & *Diaconi*; nunc verò in *noſtro* dicendi *Epiſcopi*, *Presbyteri*, & *Diaconi*. Certiſſimum enim eſt hos tres Ordines poſt illud ſæculum ubique obtinuiſſe in Eccleſiâ primitivâ, & ſub *iiſdem Nominibus* quibus utitur Eccleſia *Anglicana*: cui probando ſi quid deſit poſt *defæcati Ignatii* teſtimonia, ſatis ſuperque ſupplebitur ex iis quæ ex antiquiſſimis *Patribus* citantur 12° Capite *Vindiciarum* Reverendi admodùm & Doctiſſimi *Epiſcopi Ceſtrienſis*, & ex prædictis Doctiſſimi *Beveregii Annotationibus* ad *Synodicon* à paginâ 12ª ad 15ªm, & ex 11° capite *Codicis Canonum* vindicati per *eundem Authorem*. Quò hâc de re qui dubitent referendi ſunt: non enim præſentis *Tractatûs* officium eſt, *omnia Argumenta* in hâc Causâ à Doctiſſimis Viris adducta recolligere & accumulare, ſed Controverſiam in ſe nimis amplam in *brevi tabellâ* delineare, à benigno *Lectore*, hiſce *exiguis vacante*, unico oculorum ictû conſpiciendam.

Secundò, Certiſſimum etiam eſt Eccleſiam *Anglicanam* retinere debitum *miniſtrum* Ordinis ſecundùm ſacras *Scripturas* & *antiquas* Eccleſiæ Chriſtianæ *conſuetudines*: per debitum Miniſtrum Ordinis intelligo *Epiſcopum*, ſolum *Officiarium* Eccleſiaſticum qui in *Apoſtolicæ Succeſſionis lineâ* Authoritatem receperit *conferendi Ordines*: & diſputent in infinitum *Presbyteriani* noſtri de *promiſcuo uſu* Epiſcopi & Presbyteri in Sacrâ *paginâ*; niſi probaverint ſeipſos iſtam *Ordinandi*

Autho-

Authoritatem recepiſſe, nunquam poterunt per impoſitionem Manuum Presbyteri aliquam ordinariam Miniſterii Evangelici *Succeſſionem*, quam contra *alios Sectarios* urgent, conſervare. Quid ſi probaverint quoſdam officiarios Eccleſiaſticos, *Presbyteros* quandoque *dictos*, ordinâſſe? non exinde ſequetur *Presbyteros hodiernos* etiam *poſſe ordinare*, niſi ipſi probaverint *noſtros* Presbyteros eſſe ejuſdem *Authoritatis* cum *illis* quos ſæculum *Apoſtolicum* quandoque Presbyteros *dixit*, hoc eſt, recepiſſe eandem *Ordinandi* Poteſtatem. Certiſſimum enim eſt, quod ſuprà citavi, [f] *nihil poſſe uſurpari niſi quod ſit à cælo datum*, hoc eſt, (ut ipſi fatentur dum jus Divinum Miniſterii Evangelici defendant) per Ordinariam *Succeſſionem* ab iis qui illud *receperant*. [f] Joh. 3. 27.

Conſulant totius Orbis Chriſtiani *Ordinalia* antiqua, præſertim Ordinale *Anglicanum*, juxta cujus Formam ſuos Ordines Presbyteratûs habuerant; & ex illis patebit in *meros Presbyteros* nihil conferri præter Poteſtatem *ligandi* & *ſolvendi*, *docendi*, & *adminiſtrandi Sacramenta*; *aliquam Conſecrationem* habuiſſe fatemur, non tamen ex eâ ſequitur illis licere *quolibet Eccleſiaſtico munere* fungi. *Diaconus*, ipſis fatentibus, non habet virtute ſuæ *Conſecrationis* poteſtatem *conſtituendi Diaconum*, nec *Presbyter* poteſtatem *conſtituendi Presbyterum*, niſi illam aliundè *receperit*: *Unâ Conſecratione* quamlibet Poteſtatem Eccleſiaſticam non dari, ſed *diſtinctas* per *varias* Conſecrationes conferri, unicâ inſtantiâ ex Sacrâ *paginâ* egregiè probatur: cùm *Philippus*, ad Officium *Diaconi* conſecratus, Evangelium *Samaritanis* prædicaverat, & converſos *baptizaverat*, non ſibi aſſumpſit virtute *Diaconatûs* poteſtatem *imponendi Manus*, ſolitum *Apoſtolorum* munus, ſed ad *Apoſtolos* rediit, [g] ut illi mitterent eos ad quos *Manus* [g] Act. 8. 17.

imponere spectabat; & licèt iste locus de impositione Manuum in *Confirmatione* intelligendus sit, eadem tamen est ratio utriusque.

[h] *Irenic. l. 2. c. 11. p. 181.* Quid sit *Forbesiana* [h] *aptitudinalis potestas* Ordinandi, *Presbyteris* inhærens *vi Ordinis*, non intelligo; cùm nihil possit illis *vi Ordinis* inhærere, præterquàm quod in *Formâ* Ordinandi *expressum* vel *implicitum* fuerat; & multò minùs concipi potest Ecclesiam *Catholicam* istius *Potestatis aptitudinalis* (si quæ esset) *Exercitio* illis interdixisse usque à *sæculo Apostolico*.

Concludo itaque, penès *Episcopos*, ut hodiè, ita olim fuisse Potestatem *mittendi Operarios in Vineam Domini*: *Titum Cretæ* exercuisse potestatem *Episcopalem* testatur universa antiquitas, & illic habuisse *Potestatem missivam* ex constitutione *Apostolicâ* docet [i] Tit 1. 5. Divus *Paulus* in *Epistolâ* [i] ad *eundem* scriptâ; *idcircò Te reliqui* Cretæ *ut* constituas *per civitates* Presbyteros, *ut præcepi Tibi*. *Timotheum* eandem potestatem accepisse discimus ex eodem [k] *Apostolo*, & *Ephesi* jus habuisse non tantùm corrigendi sed etiam *ordinandi* Presbyteros & alios Clericos, ex eâ *Paulinâ monitione* patet, quâ eum *Nemini citò manus imponere* jussit. [k] 1 Tim. 5. 22. Supervacuum enim fuisset hoc *Timotheum* monuisse, si illud officium ad *Presbyteros communitèr*, non ad *illum specialitèr*, spectâsset; & eandem potestatem in singulis personis, *Episcopis dictis*, ubique posteà obtinuisse testatur universa *historia Ecclesiastica*. Et hoc adeò verum & compertum est, ut illi ipsi *Patres* tam *Græca* quàm *Latina* Ecclesiæ, qui dignitati Episcopali *iniquiores* habentur, & etiam de industriâ vindicarunt *Presbyteratûs* jura, semper excepêre potestatem *ordinandi*, ut peculiare *Episcoporum* privilegium. Sanctus *Chrysostomus*, qui vulgò creditur *Schismaticorum* causæ favere, illam *impositionem manuum*

manuum Presbyterii in *Epistolâ* ad [1] *Timotheum*, de quâ adeò gloriantur adversarii, interpretatur de manibus *Episcoporum*, & sic intelligi debere probat; οὐ περὶ πρεσβυτέρων φησὶν ἐνταῦθα, ἀλλὰ περὶ ἐπισκόπων, οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν. Et ipse *Hieronymus* etiam, in *Epistolâ* ad * *Evagrium* (toties à *sectariis* nostris citatâ) reliquit Potestatem *ordinandi* exceptam, ut indubitatum *Episcoporum* privilegium; *quid facit, exceptâ ordinatione, Episcopus quod Presbyter non faciat?* & etiam in *Commentariis* ad *Titum* (ad quos toties in hâc controversiâ adversæ opinionis defensores provocant) ad caput 1um & versum 5um hæc habet, * *Audiant Episcopi qui habent constituendi Episcopos per singulas urbes potestatem:* & hîc non possum satis mirari cujusdam *Moderatoris*, (sub titulo *NUDÆ VERITATIS* anno 1675. *editi*) inutilem astutiam, qui ut * *Hieronymi* [*quid facit?*] ad suas partes traheret, non veretur de sanctissimâ *potestate ordinandi contemptim* loqui tanquam de *infimâ* omnium sacri Ministerii functione; & de *Hieronymo* dicere, quòd in *diminutionem* dignitatis *Episcopalis* hanc quæstionem rogaverit. Sit verò functio *infima* (siquidem necesse est, cùm *Humilem moderatorem* agat, se suósque honores exuere & contemnere) si tamen hæc potestas solùm ad *Episcopos* jure pertineat, abundè constabit *Episcopatum* & *Presbyteratum* non esse *unum commune* & *idem* Officium, quia, concedente *Hieronymo*, habent *diversa* munia. Sint etiam Presbyterorum *privilegia* præclara & insignia; si ea omnia ad *Episcopos* etiam spectent, cum *aliis* functionibus quas *Presbyteri* non habent, meritò Episcopus *superior* Presbytero habendus, quoniam omnis potestas eò *nobilior* est, quò se *ad plura* extendat.

[1] 1 Tim. 4.14.

* Tom. 2. p. 260. Ed. Colon. 1616.

* Tom. 6. p. 198.

* p. 44, 45.

Cùm *Eustathius Berytiensis* Episcopus quosdam Episcopos,

piscopos, à *Photio Tyriensi* consecratos amovisset, & in *Presbyterorum* ordinem detrusisset; decrevit sacrosanctum *Concilium* [m] *Chalcedonense Oecumenicum* 4um, Ἐπίσκοπον εἰς πρεσβυτέρου βαθμὸν φέρειν ἱεροσυλίαν εἶναι. Quantum itaque *sacrilegium* molitur hic *Author*, licèt à *Sectariis* nostris *sanctissimus* habeatur, dum universos Ecclesiæ Catholicæ Præsules ab *Episcopalibus* fastigiis *in Presbyterorum gradus* dimittere conetur. Certè cum majori *reverentiâ* de Episcopatû locuta est *antiquitas*. In verbis [n] *Cypriani* est, *Ecclesiæ gubernandæ sublimis & divina Potestas*, in verbis *Concilii* [o] *Sardicensis* ἀψὶς καὶ μεγίστη τιμὴ, & ergò ipse *Hieronymus* qui vulgò creditur satis *deprimere* dignitatem Episcopalem in [p] *Epistolâ* ad *Marcellam* inter cætera reprehendit *Montanistas*, quòd habuerint Officiarios Ecclesiasticos *Episcopis Superiores*.

Cum Sancto *Athanasio* in *Epistolâ* ad [q] *Dracontium* de eâ Functione cum *contemptû* loqui, est καταφρονεῖν τοῦ διαταξαμένου σωτῆρος, cum Sancto *Epiphanio* [r] est summæ *insaniæ*, ἀφροσύνης τὸ πᾶν ἔμπλεων τὸ λέγειν αὐτὸν ἐπίσκοπον καὶ πρεσβύτερον ἴσον εἶναι, &, quòd ad rem nostram magis est, hoc præcipuum honoris Episcopalis argumentum facit idem *Pater* quòd *Episcoporum* Ordo [s] πατέρας γεννᾷ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ *generandis Patribus in Ecclesiâ inserviat*, cùm *cæteri Ordines tantùm per lavacrum regenerationis producant* filios; ut legendum est in Sto *Epiphanio*.

Et hoc esse peculiare *Episcoporum* Privilegium non tantùm singulorum *Patrum* Testimonio, sed etiam publicis *Conciliorum Decretis* evincitur. Et ergò cùm *Concilium Constantinopolitanum*, [t] *Oecumenicum* 2um, declarâsset *Maximum Cynicum non esse Episcopum*, protinùs subjecit Καὶ οἱ παρ' αὐτοῦ χειροτονηθέντες, ἐν οἱῳδήποτε βαθμῷ κλήρου, ἀνίεροι.

Imò

[m] Can. 29.
[n] Ep. 59. p. Ed. Ox. 126.
[o] Can. 10.
[p] Tom. 2. p. 162.
[q] Pag. Op. 955. Ed. Par. 1627.
[r] Hæres. 55. vel 75. Ed. Petav. Tom. 1. p. 908.
[s] Ibid.
[t] Can. 4.

Imò usque adeò tenaces hujus, ut par est, instituti *Veteres* fuerunt, ut *Concilium* [u] *Hispalense* 2um cùm intellexisset, quòd in *Egbarensi* Ecclesiâ *dum unus ad Presbyterium duo ad Levitarum Ministerium sacrarentur, Episcopus oculorum dolore detentus Manus super eos tantùm posuerat, & Presbyter quidam illis Benedictionem dederat,* protinùs decrevit ut *hi qui ab eo non Consecrationis titulum sed ignominiæ potiùs elogium perceperant, à gradû Sacerdotalis vel Levitici Ordinis æquo judicio abjicerentur.*

[u] *Cap. 5. Concil. Labb. & Cossart. Tom. 5. p. 1665.*

Concilium quoddam *Alexandrinum* [x] decrevisse *Ischyram* merum *laicum*, quia à *Collutho mero Presbytero* ordinatus fuerat, omnibus notissimum est; & manebit Argumentum insolubile non obstante omni effugio vel à *Blondello*, vel quovis alio, nupèr ficto & invento. Et hoc abundè patebit cuilibet Historiam sine affectato Partium studio consulenti: non dicitur *Ischyras* cum limitatione Presbyter *illegitimus*, & *contra Canones* constitutus; sed absolutè *nec Presbyter nec Ecclesiasticus*, quia à *Collutho* quodam ordinatus; non rejicitur *Ischyræ* Ordinatio, quia eam contulerat *Colluthus* contra *Authoritatem*, vel sine *licentiâ*, Episcopi *Alexandrini*; sed quia is à quo ordinatus fuerat, *merus Presbyter* obierit, [y] ὅτι Κολλοῦθος πρεσβύτερος ὢν ἐτελεύτησε [z] non dicitur manus *Colluthi* ordinantis *Schismatica* & *Rebellis*, sed ἄκυρος, *irrita*, & *sine Authoritate*. Non decernit Concilium prædictum *Ischyram*, vel ullum alium à *Collutho* ordinatum, *suspendendum*, vel *deponendum*, sed quoslibet ab eo constitutos peremptoriè adjudicat esse *meros Laicos*, καὶ οἱ παρ' αὐτοῦ καταστάθεντες ἐν τῷ σχίσματι, λαικοὶ γεγόνασιν, ut habentur apud [a] *Athanasium Apologiâ* 2da *de Fugâ*; & idem postea *Concilium Sardicense* affirmat, de *Ischyrâ* ab *Arrianis* promoto loquens, τῆς συκοφαντίας μισθὸν

[x] *Athanas. Apol. 2. de fugâ Op. T. 1. p. 784. Ed. Par. 1628.*

[y] *Athanas. Op. T. 1. p. 732.*

[z] *Pag. Op. ut sup.*

δὸν τῷ Ἰχυρᾷ διδώκασιν Ἐπισκόπου ὄνομα τῷ μηδὲ πρεσβυτέρῳ τυγχάνοντι *dederunt* Ischyræ *calumniæ mercedem nomen Episcopi qui ne* Presbyter *quidem erat*; ut habetur apud *Theodoretum*.[a]

[a] *Eccles. Hist. l. 2. c. 8. Ed. Val. p. 77.*

Miror itaque cùm hæc adeò manifesta sint, [b] *Moderatorem* prædictum hoc Argumentum adeò parvi æstimâsse, & ex eo Occasionem cepisse comparandi *Canonicos* defectus Ordinationum per Episcopos cum iis quas Ecclesia semper *nullas* & *irritas* judicaverat; aliter sensisse Veteres, & de *Colluthi* & *Ischyræ* audaciâ, satis

[b] *Nak. Truth p. 45.*

novimus; *Ischyræ* factum appellat *Socrates* [c] φάσμα πολλῶν ἀνανδρῶν ἄξιον, *facinus multis mortibus muldandum*, non quòd violaverit Decretum *Concilii Alexandrini*, sed quòd *nunquam sacris initiatus Presbyteri nomen sibi imposuisset, & Sacerdotis munera obiisset*, ut verba *Latinè* sonant, & hoc tamen postquàm à *Colluthо vero & canonico Presbyteno* ordinatus fuisset. Et tamen satis se respondisse pro suâ causâ credit *prædictus Author*, citando 16um *Canonem Concilii Niceni*, in quo decernitur, quod si quis Episcopus sine literis dimissoriis promoverit Clericum alterius Diœceseos vel *Parochiæ* (antiquitùs enim idem erat) *sine consensû sui Episcopi* ἄκυρος ἔσται καὶ χειροτονία· ergò, inquit, *irregulares* Episcoporum *Ordinationes* irritæ *sunt æquè ac illæ* Presbyterorum.

[c] *Soc. Hist. Eccl. l. 1. c. 27.*

At pace tanti *Authoris* aliud est, *in se* & *ab initio* irritum esse, aliud irritum & invalidum reddi *per decretum* & *sententiam Concilii*. De *prioris* generis *invaliditate* intelligendum esse *Concilium Alexandrinum*, ex ipsâ historiâ & verbis decreti patet; *posteriorem* sanctos *Patres Nicenos* voluisse, ex *Canone* citato cum 35° *Apostolorum* comparato, per quem *Balsamon* & *Zonaræ* eum interpretantur, manifestum fuerit; quòd enim in *Canone Niceno* est ἄκυρος ἔσται καὶ χειρο-

χειροτονία in *Canone Apoſtolico* legitur καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὅς ἐχειροτόνησεν, *deponatur ipſe & quos ordinaverit.* Sed non ſolet Eccleſia *deponere* ubi ordines habentur *ab initio* irriti & invalidi: & ergò *Concilium Alexandrinum* non decrevit *Iſchyram*, aut ullum alium à *Collutho* ordinatum, *deponendum* eſſe, quia omnes iſtâ ordinatione conſtitutos inter *Laicos* reputaverat, ut ex verbis prædicti *Concilii* ſuprà probavimus.

Et ergò in *Concilio* [d] *Sardicenſi*, ſuprà citato, cùm *Gaudentius* quidam petiiſſet, ut *à Muſæo & Eutychiano conſtituti* in Clerum *ſuſciperentur*, reſpondet *Hoſius* celeberrimus iſtius *Concilii* Epiſcopus, cæteris aſſentientibus, ſuæ *mediocritatis ſententiam* eſſe ut ad *communionem Laicam* ſolùm admitterentur, & rationem reddit ad noſtram rem accommodam, ὅτι οὐδὲ ὁσιονόμῳ Ἐπισκόπῳ δώσαν ἐκδικεῖν οἱ αὐτὸν χειροτονήσαντες, ut ejus verba *Balſamon* [e] interpretatur *quia nec Epiſcopi Nomen tueri poſſunt qui eos ordinârunt*; &, quod non eſt prætereundum, prædictus *Interpres* in hunc locum videtur nuperum *Moderatoris* effugium *prævidiſſe*, & ſpiritû *prophetico* refutâſſe; cùm enim dicitur, *ex præſenti Canone nihil præjudicii allatum eſſe iis qui ab aliquibus depoſitis vel etiam anathematizatis in Clerum* ſuſcepti ſunt, ſed hæc omnia *de Muſæo & Eutychiano* decreta ſolùm ἄλλως μὴ χειροτονηθέντας καὶ ἀναθεματισθέντας χειροτονίαν reſpicere, non videtur tantùm diſtinguere inter ordinationes *in ſe irritas*, & eas quæ ſunt *Canonicè invalidæ*; ſed & ſpeciatim aſſerere, omnes ordinationes quales illæ fuerant *Muſæi* & *Eutychiani*, ab illis ſcil. factas qui non ſunt *veri Epiſcopi*, annumerandas eſſe iis quæ ſunt *in ſe nullæ, ſimulatæ, irritæ*, & *inanes*.

[d] *Can.* 18 & 19.

[e] *Ad Can.* 19. *Concil. Sardic.*

At hîc objiciunt *Phanatici* noſtri quarundam Eccleſiarum

ſtarum *Reformatarum* ordinationes *Presbyterales*; ut ex aliorum *neceſſitatibus* ſuorum defendant *Schiſmata*. Quod ad *Tranſmarinos* attinet, nolo *neceſſitati* limites præſcribere quæ nullos patitur, nec quantùm in hoc casû neceſſitas valeat determinare: novi enim illud *Euripidis*, τὸ τῆς ἀνάγκης ὑ λέγειν ὅσον ζυγόν· & *neceſſitatem* poſſe multa *legitimare* quæ *alitèr illicita* eſſent, non diffiteor. Nolo etiam de *Naturâ* neceſſitatis *tranſmarinæ* diſputare, nec *quanta* fuerat in *principio Reformationis*, vel *etiamnum* maneat, inquirere. Novi etiam illud *Græcorum*, ξένος ὢν ἀπραγμων ἴσθι, & cùm *exterum* non deceat, nolo me *alienis* immiſcere; res ſuas curent, &, cùm grandes ſint, pro ſe ipſis reſpondeant.

At interim ſufficiat *Schiſmaticis* noſtris regerere, quòd *Reformati tranſmarini* ſub initium Reformationis publicè agnoverint, ſe *invitos* & extremâ neceſſitate *coactos* politiam Eccleſiaſticam *mutâſſe*: *nunc non id agitur ut dominatio eripiatur Epiſcopis, ſed hoc unum petitur ut patiantur Evangelium purè doceri*, inquit, *Confeſſio* [f] *Auguſtana*. *Sævitia Epiſcoporum in causâ eſt quare alicubi diſſolvitur illa Canonica Politia quam nos magnoperè cupiebamus conſervare*; ut habet Apologia [g] iſtius confeſſionis ad articulum 14.

[f] *Artic. 7. de Abus. circa fin.*

[g] *Lib. Concordiæ p. 182.*

Habeant itaque ſibi ſuas *neceſſitates* & *infortunia*; nec dubito quin eadem Dei miſericordia quæ confert beneficia Sacramentorum *voveantibus*, ubi ſacramenta *habenda non ſunt*, poſſit ſupplere omnes *Canonicos* miniſtrantium *defectus*, quos caſus *neceſſitatis* fecerit.

At, inquit doctiſſimus *Montacutius*, [h] *caſus neceſſitatis ſuppoſitioni innititur impoſſibilitatis; nec enim talis caſus aut extitit aliquando aut contingere poteſt, niſi*

[h] *Orig. Eccl. Pars poſt. p. 464.*

fallat

fallat Nos Dominus, qui promisit, portæ inferorum non prævalebunt, ecce sum vobiscum ad consummationem mundi: Sed, cum veniâ tanti *Patris*, non intelligo quin id quod respectû *totius* Ecclesiæ sit *impossibile*, possit contingere intra aliquas Ecclesiæ Catholicæ *portiones*. Semper erit, non dubito, & etiam virtute promissi divini, *legitimus Episcopatus* in Ecclesiâ Christianâ; ex eo tamen non necessariò sequitur, quin possit ob quosdam casus *necessitatis* χειροθεσία Episcopalis impediri in *aliquibus locis* Ecclesiæ Catholicæ, ubi sit vera professio *Religionis* Christianæ.

Concessâ itaque necessitatis possibilitate, & veritate istius propositionis, quòd *lex debeat* necessitati *cedere*, quid hoc ad *Schismaticos* nostros, qui legitimos Episcopos *sine necessitate rejiciunt*, & ordines Episcopales, ubi ab *Orthodoxis* habendi sunt, sponte *contemnunt?* quid hoc ad illos qui, contrà universæ Ecclesiæ *praxin* & *decreta*, affirmant *Presbyteros* à legitimis suis Episcopis *prohibitos*, extra omnem casum *necessitatis*, posse *licitè ordinare?* sint Ecclesiarum *exterarum* necessitates tolerandæ; non tamen exinde sequetur licere nostris, *Schismaticos* fieri, vel Ecclesiam *Anglicanam* teneri suam *Canonicam successionem* evertere, *Episcopos* ejicere, & omnia *turbare*, ut *imperfectis* & *tumultuariis* quarundam Ecclesiarum reformationibus suam *conformem* redderet: concedatur *necessitate leges laxari* & mutilari; ergóne nullam *obligationem extra casum necessitatis* habuerint? cedamus illis χειροθεσίαν Episcopalem apud *transmarinos* quosdam injuriâ temporum *defecisse*; ideóne licuerit *Presbyteris* sibi *ubilibet* potestatem *ordinandi* assumere, eámque assumptam defendere, & quasi *proprio jure* debitam vendicare? respondeant qui ita sentiunt Sancto *Epiphanio*, [i] πῶς οἷόν τε ἦν τὸν πρεσβύτερον καθιστᾶν μὴ ἔχον-

[i] *Hæres.* 55. *vel* 75. *pag. Ed. Petav.* 908.

ἔχοντα χειροθεσίαν τὸ χειροτονεῖν, *quî fieri poſſit ut is Presbyterum conſtituerit qui manus imponendi jus nullum habeat?* & ſi ea poteſtas antiquitùs *Presbyteris* non erat conceſſa, penès hodiernos erit probare *unde* eam receperint; nulla enim Poteſtas ſacra poſſit ordinariè deſcendere extra *lineam ſucceſſionis Apoſtolicæ.*

Ex his abundè ſequitur, Miniſterium Eccleſiæ *Anglicanæ* non eſſe *Antichriſtianum*, quia ſecundùm *antiquiſſimas* Eccleſiæ Chriſtianæ *Conſuetudines* conſtitutum; ſed eos potiùs *Antichriſtianos* qui ſibi *aſſumunt* Authoritatem ſacram in Eccleſiâ Chriſtianâ, quam in eâ nunquam *receperunt.* Sed ut Controverſiam nimis amplam intra breviſſimos quos potero limites reducam; *hoſtes Epiſcopatus Anglicani* ſunt ſub 4^or^ Titulis diſtinguendi.

Primus eſt eorum, qui affirmant *Epiſcopum* & *Presbyterum* in ſacrâ *Scripturâ* non *diſtingui*, ſed eam *diſtinctionem* quæ nunc obtinet, poſteà ab *Eccleſiâ* licitè fuiſſe *inſtitutam.*

Secundus eſt eorum, qui affirmant hanc *Inſtitutionem* Eccleſiaſticam poſſe *licitè mutari* in omni casû *neceſſitatis*, & ubicunque iſte caſus contingat.

Tertius eſt eorum, qui affirmant eſſe *Inſtitutionem ubique & ſemper mutabilem*, etiam *extra* omnem *neceſſitatis* caſum; utpote tantum Inſtitutionem *humanam.*

Quartus eſt eorum qui affirmant, *Superioritatem Epiſcopalem* eſſe rem *malam* & *illicitam*, nec ab Eccleſiâ *inſtituendam* nec à Chriſtianis *tolerandam*, utpote *Sacræ paginæ & inſtitutioni Divinæ contrariam.*

Et ſanè nihil dicunt in hâc Controverſiâ Adverſarii noſtri, niſi *hoc ultimum* dixerint. Quâ fronte enim poſſint Miniſterium noſtrum *Antichriſtianum* dicere,

dum

dum *licitum* esse concedant? sit Episcopatus *tantùm Institutio Ecclesiastica*, sit Institutio Ecclesiastica *mutabilis* etiam *extra casum necessitatis*; nihil valebunt hæc omnia; non obstantibus enim hisce Concessionibus, manebit Ministerium Episcopale *licitum*, ubicunque *legitimè* constituatur; & omnes subditi Ecclesiæ *Anglicanæ*, ubi Episcopatus *legitimè* constitutus habetur, tenebuntur debitam illi Obedientiam præstare, donec ab iis ad quos Ecclesiæ nostræ Moderamen spectet, *mutetur*: ut igitur aliquid ad rem dicere videantur, publicè agnoscant Episcopatum Regimen *illicitum* & *Verbo Dei contrarium*.

At si hoc dixerint, quid respondebunt Ecclesiæ *antiquæ* quæ *Aerium hæreseos* damnavit, solùm ob hoc, quod dixisset, *Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ debere discerni*, ut habet Sanctus [k] *Augustinus*: & ideò [k] *De Hæres.* *Hær.* 53.
benè observat *Forbesius* [l] in *Irenico* Sanctum *Hieronymum* [l] p. 30.
nunquam *Hæreseos insimulatum*, licèt æquè ac *Aerius Prærogativam Episcopi supra Presbyterum ad jus Ecclesiasticum retulerit*; quia semper *illam Ecclesiasticam Constitutionem quam Aerius contempsit reverentèr suscepit, eique se obedientèr subjecit tanquam non illicitæ, sed utili & laudabili. Frustrà igitur & imperitè*, inquit prædictus *Forbesius*, [m] *Hieronymi au-* [m] p. 131.
thoritatem prætendunt illi, qui hanc Politiam cum Aerio *hæretico insolentèr contemnunt*. Imò quid respondebunt Protestantibus *Transmarinis* quos adeò venerantur? *Hoc illud est quod negamus, discrimen istud Episcopi & Presbyteri à jure Divino esse: alioquin omnia hæc ut Juris humani, atque adeò (si ita placet) Ecclesiastici, concedimus fuisse jam olim observata. Nec damnamus ea simpliciter, si Abusus non accesserit. Hoc* Aerius *contra Ordinem in Universâ Ecclesiâ receptum fecit. Quid nobis cum* Aerio? ut habet *Franciscus*

ciscus Junius in *Animadversionibus* in *Bellarmini* librum de *Clericis*. [n]

[n] c. 14. not. 2.

Aerius *non habitus fuit Hæreticus ob sententiam quæ ei cum Hieronymo communis fuit, sed ob falsum πόρισμα, ab iis scilicet qui ullum inter Episcopum & Presbyterum consuetudine Ecclesiasticâ invectum discrimen quomodocunque admiserint, secedendum esse*; ut habet *Blondellus* in *Præfatione* [o] *Apologiæ*.

[o] pag. 59.

Aerius *Hæreticus dicebatur, quod in re pridem & ubique receptâ ausus sit opponere sese consensui Universalis Ecclesiæ: sed illi non* Aeriani *qui rem quæ jam inde à sæculo Apostolis proximo recepta fuit in Ecclesiâ, ut vitiosam & improbam non aspernantes, sub diversæ Politiæ Ecclesiasticæ formâ vivunt*: ut *Molinæus* in *Epistolâ* 1ma ad Episcopum *Wintoniensem* scriptâ.

Rejicere itaque *Episcopatum* ut *illicitum* & *damnatum in* Sacrâ *paginâ*, est, ipsis *Protestantibus Transmarinis* judicantibus, *Hæresis Aeriana*. Sed tria sunt præcipua nostrorum Adversariorum calumniæ fundamenta: sic enim argumentari solent.

Primò, Illud Ministerium est *Antichristianum*, quod eos ut *distinctos* Ordines habet, quos sacra *Scriptura*, indubitatus Ecclesiasticæ Disciplinæ *Canon*, non *distinguit*.

Secundò, Illud Ministerium est *Antichristianum*, in quo ea *Superioritas* Ecclesiastica retinetur, quæ directè *repugnat legi Christianæ*.

Tertiò, Illud Ministerium est *Antichristianum*, quod suam Constitutionem, Successionem, & Authoritatem habet à *Cathedrâ Romanâ Antichristianæ Tyrannidis Sede* & *Metropoli*.

Primò, Illud Ministerium, &c. *Nolumus*, inquit prædictus [p] *Moderator, recedere à verbis Scripturæ in Fundamentalibus vel Fidei vel Disciplinæ Ecclesiasticæ*; *illud*

[q] Nak. Truth, p. 42.

illud enim esset aliam Regulam loco sacræ Scripturæ substituere: & ergo cùm non minus certum sit Episcopos & Presbyteros in *Ecclesiâ nostrâ* accuratè *distingui*, quàm Sacram *Scripturam* istis Nominibus *promiscuè & confusè* uti; certissimum etiam erit (sic enim *Consequentiam* Argumenti urgent) Ecclesiam *Anglicanam* non habere Ministerium *Christianum*, hoc est, *Canoni Disciplinæ Ecclesiasticæ* conforme: & ex hâc *Communione Nominum* præcipuè *Salmasius* & *Blondellus* argumentantur contra antiquitatem & distinctionem Ordinum Ecclesiasticorum.

Primò, Huic argumento cum Doctissimo *Episcopo Gestrienſi* [q] respondeo, *Nondum constare Nomina Episcopi & Presbyteri in Scriptis Apostolicis ubi de Officiis Ecclesiasticis agitur, Synonyma* esse, nec *Argumenta hactenùs adducta id ut credamus nos necessariò cogere.* [q] *Vindic. Ignat. p. 184.*

Et hoc duobus Argumentis probat: [r] [r] *p. 185, 186.*

Primò, Quia nunquam audita erat hæc Interpretatio ante *Aerium hæreticum, qui primus eam ad sententiam suam confirmandam protulit, cujus sententia* etiam *quàm primùm publicata à S^to Epiphanio statim explosa est.*

Secundò, Quia *illi Catholici tam Veteres quàm Moderni, qui eam posteà Interpretationem sed in alium finem amplexi sunt, nunquam in eâ explicandâ consentire potuerunt.* Et hîc Reverendus admodùm *Pater* enumerat *varios modos* per quos distinguuntur, & se explicant: vel enim illi sunt qui *unum tantùm Ordinem* "præter *Diaconatum* in principio Ecclesiæ Christianæ "constitutum asserunt, vel qui *duos* Officio & Dignitate "distinctos. Primi Generis Authores in *duas Classes* di- "stinguuntur, quarum *prior* vult *Nomina Episcopi* & "*Presbyteri* in Scriptis Apostolicis *secundum Ordinem*

"*Presbyte-*

"*Presbyteris* tantùm denotare, & *ſuperiorem* poſteà "introductum; & ſic ſenſiſſe creditur *Hieronymus*. "Altera vult hæc Vocabula promiſcuè attribui *ſuperiori* "*Ordini Epiſcopali*, & *poſteà*, augente Eccleſiâ, *infe*"*riorem* introductum: Ut *Epiphanius*, *Petavius*, & "qui eos ſequitur *Hammondus*. *Secundi* generis Au"thores qui *duos* ſuperiores Ordines *ſub Apoſtolis* aſ"ſerunt, diſtinguuntur etiam in modo applicandi *Com*"*munionem nominum*; alii volunt utrumque Nomen "*utrique* Ordini *commune*, ut *Chryſoſtomus*; alii E"piſcopi & Presbyteri Vocabulo *ſecundo* Ordini *pro*"*miſcuè* attribui, *nunquam* autem *ſuperiori*, quia iſti"us Ordinis Miniſtri tunc dicebantur *Apoſtoli*; ut "*Theodoretus*. Et præter has *duæ aliæ* Sententiæ *fin*"*gi poſſunt*; *ſuperioris Ordinis Sacerdotes nunc Epiſco*"*pos*, *nunc Presbyteros* vocari, *inferioris*, *tantùm Pres*"*byteros*; & *hanc ut probabilem admittit* Hammon"dus: *vel inferioris Ordinis Sacerdotes nunc Epiſ*"*copos nunc Presbyteros*, *Superioris verò Epiſcopos* "*tantùm appellatos fuiſſe*; & hanc *amplexus eſt* "*Nemo*.

Cùm itaque tanta ſit *Varietas Opinionum* inter Doctiſſimos Viros in applicandâ *Communione Nominum*, & omnia Argumenta quibus eam ſuperſtruunt adeò *dubia* & *incerta* ſint; multò probabilius videtur aſſerere eam *Communionem* in Sacris *Scripturis* non reperiri; donec quidam egregius *Conciliator* ex his Diſſenſionibus aliud certius concluſerit & demonſtraverit.

Secundò, Non neceſſariò ſequitur *Identitas ordinum* ex promiſcuâ *communione Nominum*: non incongruum enim eſt *in genere iiſdem vocabulis diſtincta offi*[f] *De libris ſuppoſ. Ignat. l. 2. c. 26. p. 386.* *cia* ſignificari, nec abſurdum dicere *in ſpecie* ita fieri in ſcriptis *Apoſtolicis*: & hoc ipſe fatetur [f] *Dalleus*

(licèt

(licèt eâ conceſſione præcipuum argumentationis *Blondelli* & *Salmaſii* fundamentum evertat:) ut enim ex imitatione Sermonis Apoſtolici argumentum formaret contra *Ignatii Epiſtolas*, concedit *tres ordines* five gradus in Eccleſiâ *jam ipſis Apoſtolorum temporibus* extitiſſe, qui *nomina* Epiſcopi & Presbyteri *promiſcuè* uſurpârunt, licèt tunc temporis *Officia diſtinguerentur*. Et ſanè ſi ex harum vocum *uſû promiſcuo* Epiſcopi & Presbyteri ἰσωνυμία, ſive *Identitas omnimoda*, rectè inferatur, *Presbyteri*, imò *Diaconi*, & *Apoſtoli* munera eadem pari ratione demonſtraveris; ſæpiſſimè enim ſe vocant *Apoſtoli* Presbyteros & *Diaconos*.

Tertiò, Malè argumentantur ex promiſcuo uſû vocum in ſcriptis *Apoſtolicis* contra ſuperioritatem Epiſcopalem, cùm ex ipſis certiſſimum eſt ipſos *Apoſtolos inſtituiſſe* tale *officium*, & contuliſſe quibuſdam Perſonis ſingularibus eam *authoritatem ſupra Presbyteros*, quæ hodiè in ſenſû Eccleſiaſtico, dicitur *Poteſtas Epiſcopalis*, nec quidquam evidentius eſt quàm ſacram *paginam* eo ipſo tempore diſtinxiſſe varia officiorum privilegia, dum de iis confusè locuta eſſe creditur; ergò neceſſè eſt dubium verborum ſenſum *ex praxi* interpretari, nè *ſcripta* Apoſtolica videantur *proteſtari contra facta* Apoſtolorum. Et hîc denuò appello *Epiſtolas Paulinas* ad *Timotheum* & *Titum* ſcriptas, in quibus adeò manifeſtum eſt utrique ſingulatim demandari *officium Epiſcopale*, ut nemo dubitare poſſit qui ſine præjudicio conſulat primæ Epiſtolæ ad *Timotheum*, cap. 1um v. 3um; ejuſdem Epiſtolæ 5um v. 19,20. Secundæ Epiſtolæ c. 1um ver. 6um; Epiſtolæ ad *Titum* cap. 1um v. 5, 11. cap. 3^ium^ v. 9, 10. & alios iſtarum *Epiſtolarum* textus, unà cum ſanctis *Patribus* eos *interpretantibus*. Nec regerant adverſarii, *Timotheum* & *Titum extraordinariè* vocatos ad officia *tem-*

poraria & *peritura*: cùm non tantùm ex *hiſtoriâ Eccleſiaſticâ* conſtet utrumque habuiſſe *ſucceſſorem* cum *eâdem authoritate* Epiſcopali, ſed ex ipſis *Epiſtolis* Apoſtolum *Paulum ſucceſſionem deſignâſſe*: cùm enim
1 Tim. 6. 14. *Timotheo* præcepit, ut [1] *ſervet mandata intemeratus & irreprehenſibilis uſque ad adventum Domini* (id ſcil. quod nequeat fieri, niſi in *continuatâ ſucceſſionis lineâ*) præſumitur *ſucceſſores* deſtinâſſe, &, cum cæteris privilegiis, in *Timotheum* contuliſſe *eos conſtituendi* authoritatem.

Et difficile erit iis qui *Timothei* & *Titi* poteſtatem *temporariam* affirmant, probare *ullum* officium Miniſteriale *ordinarium* & *perpetuum*. Si quis enim *Socinianus* vel *Sectarius* diceret, eas authoritates ſacras quæ in temporibus Apoſtolorum ad *peculiares officiarios* ſpectârunt, jam ad *quemlibet Chriſtianum* pertinere, non facile erit ex principiis adverſariorum eos refellere; omne enim quod ex *Epiſtolis Timothei* & *Titi* urgere ſolent, de conſtituendis *Presbyteris* & *Diaconis*, æquè *obſoletum* fuerit, ac illud *officium Epiſcopale Temporarium*, quod ipſi *Timotheo* & *Tito* ab Apoſtolo *Paulo* demandatum volunt; nec video ullam rationem quarè minùs liceret *cuilibet Chriſtiano* officiis *Sacerdotum* fungi, quàm *nemini Presbyteris Presbyteros conſtituere* virtute authoritatis *Timotheo* & *Tito* commiſſæ, *tunc temporis* Presbyteri poteſtate *ſuperioris*, *nunc* verò, *nullius* penitùs & *extinctæ*.

Et hoc argumentum ex *Epiſtolis Paulinis* fortiùs ſuadebit, ſi adjiciamus authoritatem *Sancti ſpiritûs* poſteà probantis idem *officium* & ejuſdem *authoritatis ſucceſſionem* in *Angelis Aſianis*; quos fuiſſe *ſingulares perſonas* ſeptem Eccleſiis *præſidentes* teſtatur *Tertullianus*, [a] & ante eum *Irenæus*, eóſque

[a] *De Præſcriptione & adverſus Marcionem*

non.

non sumi *collectivè* vel pro *totâ* Ecclesiâ vel pro cujuslibet Ecclesiæ *Presbyterio*, probat ipse *Textus.* [x] *Angeli* enim & *Ecclesiæ* accuratè distinguuntur, & *quilibet* eorum dicitur *Angelus*, non *chorus Angelorum*, *Stella* non *constellatio*, ἀςὴρ non ἄςρον, ut ipsa vocabula distinguit *Suidas.* Eósque etiam *singulatim* habuisse authoritatem *Episcopalem* non minùs ex *Textu* constat. De illis non conqueritur *Sanctus Spiritus*, ut Divus *Johannes* in tertiâ *Epistolâ* de *Diotrephe Presbyterianorum prototypo*, quòd *amâsset primatum*; sed eos objurgat quòd illum non *exercuissent* in corrigendis & emendandis Ecclesiis; & qui objurgat *neglectum officii* agnoscit *authoritatem* officii in *negligentibus*; & *injustè* sanè fecisset *Sanctus Spiritus iis* imputando culpas tàm *Cleri* quàm *populi*, si *cura* utriusque ad *eos* non spectâsset; *injustè* eos reprehendisset, quòd *permiserint doctrinam Baalam*, & *Jezebelem prophetantem*, si penes eos non fuisset *potestas* tam *inhibendi* quàm *ejiciendi seductores*, ut fatetur *Perkinsius* in *locum.*

[x] Cap. 1. v. 20.

Qui aurem itaque *habet audiat quid spiritus dicit Angelis Ecclesiarum*, & agnoscant omnes eam *authoritatem* quam *Filius Dei* suis *literis Testimonialibus* comprobavit, & quam *Sanctus Spiritus* dignatus est *titulis honorariis* salutare.

Et ex his liceat concludere *distinctionem Ordinum* ex suppositâ *communione Nominum* in sacrâ *paginâ* non everti: quia eam in ipsâ sacrâ *paginâ* ab initio *institutam* & *probatam* legimus. Et cùm de *vocibus* non litigemus, ubi certum est *res* distinctas inveniri, sint omnes (qui in sacrâ *Scripturâ* nunc *Episcopi* dicuntur, nunc *Presbyteri*) *meri Presbyteri*, perindè nobis est, quia *alios* in iisdem *Scripturis* sacris *re ipsâ* ἐπισκοποῦντας invenimus, nempe *Ti-*

motheum, *Titum*, & ſeptem Eccleſiarum *Aſiæ Angelos*.

Quartò & ultimò, Ex *confuſo vocabulorum uſû* in ſcriptis Apoſtolicis *indiſtinctio Ordinum* malè concluditur, quia certiſſimum eſt Apoſtolorum *contemporaneos*, immediatos *ſucceſſores*, & Eccleſiam *primitivam* ea officia accuratiſſimè *diſtinxiſſe*, quæ in ſcriptis *Apoſtolicis* confundi creduntur; & hujus argumenti conſequentia validiſſima fuerit, donec credibile ſit primitivos Chriſtianos *neſciiſſe* qualem diſciplinam *Apoſtoli* præſcripſerant, aut, quod abſurdius eſt, eos ſcientèr voluiſſe *immutare* & *novam introducere*. Et cùm hîc prædictus *Moderator* ſponte promittat, [y] *ſe in rebus quæ in Scripturis ambiguè dicuntur ſemper ſe ſubmiſſurum interpretationi Eccleſiæ primitivæ & univerſæ*, non poſſum non mirari, eum tam obſtinatè adhæſiſſe ſuis *textualibus objectiunculis* totiès refutatis, contra *totius Eccleſiæ* ſenſum; & tanto impetû laborâſſe ex iis *Scripturarum Phraſibus* eos gradus *indiſtinctos* probare, quos noverat univerſam *Antiquitatem*, optimum ſcripturæ *interpretem*, evidentiſſimè *diſtinxiſſe*: an deceat *humilem Moderatorem*, (iſto enim *titulo* gloriatur,) ſuas *privatas* interpretationes Eccleſiæ *Catholicæ* authoritati præponere, vel egregium *Demonſtratorem* ob incertos verborum ſenſus univerſæ *traditionis* conſuetudines rejicere, penes eum ſit judicare; dum Nos interim ſcripta Apoſtolica ex *praxi* eorum qui immediatè Apoſtolis *ſucceſsêre* interpretamur. Certiſſimum eſt omnes *Textus* ex quibus hic *Phanaticorum Apologiſta* argumentatur, ipſam puriorem *Antiquitatem* pro *Canonicis* habuiſſe; nec minùs certum eoſdem *alitèr interpretatam* fuiſſe, quoniam *Praxi* uſa eſt iis conſequentiis, quas hic indè deducit, directè *contrariâ*.

[y] Nak. Truth. p. 42.

Si

Si Apostolorum *Contemporanei* sint idonei testes disciplinæ Apostolicæ; si sanctissimi *Patres* primitivæ Ecclesiæ habeantur optimi Sacræ Scripturæ Interpretes; si illud *Antiquum* possit appellari quod sine ullâ expressâ *Constitutione* Ecclesiasticâ per universam Ecclesiam *obtinuerit*, & in antiquissimorum *Conciliorum* Decretis *præsupponitur* ut illis longè *antiquius*: si ea forma Regiminis Ecclesiastici sit *primitiva* æstimanda quæ in *Principalioribus* Ecclesiis, scil. *Romæ*, *Antiochiæ*, *Hierosolymæ*, & *Alexandriæ*, plures Successiones habuerit intra *primum sæculum*, ante obitum *Johannis* Apostolorum ultimi; & posteà per *totam terram* tunc habitabilem suppositam, intra *secundum*, constituta fuerit: si ex indubitatis Ecclesiasticæ *Historiæ* monumentis, & Generalium *Conciliorum* Decretis, Ecclesiæ Catholicæ *Consuetudines* sint optimè judicandæ, & ex earum Consuetudinum *Traditione* Controversia de *materiâ Facti* & *Disciplinæ* melius determinandi, quàm ex incertis *Polemicorum* vel *Criticorum* conjecturis: si *purioris sæculi* Interpretationes sint *modernis* longè præferendæ, & eæ præcipuè rejiciendæ quas antiqua Ecclesia ut *Arianas* & *Hæreticas* damnaverit; si eâ Ecclesiastica *Disciplina*, quæ à Sæculo immediatè sequente Apostolicum ad nos usque descenderit, semper *Ordines* Ministerii Ecclesiastici *distinxerit*; tum ex *confuso Vocabulorum usû* in Scriptis Apostolicis *indistinctio Ordinum* malè concluditur: & hoc pro certissimo habendum est, donec aliquis Egregius *Demonstrator* probaverit, possibile esse ut *tota Ecclesia ab initio* Disciplinæ directis *Scripturæ* consequentiis *contrariæ* consentiret, & eâdem *per omnia sæcula* uteretur: Et hîc habemus vel ipsum *Baxterum* fatentem esse *rem maximè improbabilem ut omnes aut tot Ecclesiæ tam* citò *ejusmodi præsidentiam, prælaturam, aut imparitatem*

tem abſque ſcrupulo & reluctantiâ inſtituerent ſi id Apoſtolorum *menti* repugnâſſet; verba ejus *Anglicè* habentur in *Quinque* [2] *Diſputationibus de Regimine Eccleſiaſtico. Citò* itaque poſt tempora Apoſtolorum, fatente *Baxtero*, inſtituta fuerat *imparitas* Ordinum vel Graduum Eccleſiaſticorum, de *Verbis* enim non contendimus: nec immeritò *citò* dixit, cùm ipſe *Blondellus* (quem ſequuntur *Miniſtri Londinenſes*) acerrimus Cauſæ *Presbyterianæ* Vindex, affirmet eam *ubique obtinuiſſe circa Annum* 140um, ita ut jam tota Controverſia intra *arctiſſimum Temporis ſpatium* reducitur, *quadraginta* ſcil. *annorum* poſt mortem Divi *Johannis*, cui determinandæ nihil jam reſtat poſt accuratiſſimas *Ignatii Vindicias* à Venerando Patre *Joanne Ceſtrienſi* ſcriptas: Et cùm *Presbyteriani* noſtri in *Collationibus Vectenſibus* ſponte agnoſcant *Ordinum Diſtinctionem* ſatis probari in *Epiſtolis Ignatianis*, ſi *Veræ* eſſent & *Authenticæ*, poſt tot Demonſtrationes tandem deſinant Epiſcopatum Eccleſiæ *Anglicanæ* conviciari, ut *Novum* & *Antichriſtianum*. Et hîc tandem videō prædictum *Moderatorem* [3] Cauſam cedere, & *Primitivam Veritatem*, quam jactat, cum *Evâ matre poſt lapſum*, ſuam *Nuditatem ſentire & erubeſcere*, & ipſum *Autherem* ut ſuæ *Modeſtiæ* conſuleret *tenebras* offundere, & *ficulnea folia conſuere*, & ſe ſuáſque *nudas* demonſtrationes in *denſis* Contradictionum *virgultis abſcondere*; poſt longam enim Diſputationem, de *Indiſtinctione Ordinum* ex Sacrâ *Paginâ*, ſponte fatetur ipſos *Apoſtolos conſtituiſſe Superintendentes* cum Poteſtate *Ordinandi* & *Regendi* cæterum Clerum, & *hunc Ordinem* Miniſterii Eccleſiaſtici non tantùm ab Apoſtolorum *Succeſſoribus, ut ſanè ex Officio tenebantur* (iſtâ enim *Phraſi* utitur) *per omnia ſæcula obſervatum*, ſed eſſe *naturâ ſuâ immutabilem*:

quorſum

[2] Baxter *Diſput.* 3.c.4.

[3] Nak. Truth p. 48.

quorsùm itaque tam prolixo Capite laboraverit *nihil dicere?* quorsùm toties *dogmaticè* ad *Textum* provocet? & ſua *dubia Evangelica* Rectoribus noſtris commendet? quorsùm Sententiæ *precibus* toties interruptæ? & tantus ſtrepitus de *Fundamentalibus* Eccleſiaſticæ *Diſciplinæ* in *Scripturâ* traditis? quorsùm turbat populum ob meras *Logomachias* & Notiones inutiles: & ad tam inepta conciliandis Diſſidiis remedia appellet? tota enim Argumentatio ex Sacrâ *Pagninâ* pro indiſtinctione Ordinum nulli uſui inſervit, ſi iſta Diſtinctio pro quâ contendimus ſit *Inſtitutio Apoſtolica* & *neceſſaria*; nec de immutando Regimine Eccleſiaſtico diſputare profit, ſi ſit prout jam conſtituitur ex Inſtitutione Apoſtolicâ *immutabile.*

Relictâ itaque *Canoniſtis* & *Scholaſticis* inutili Diſputatione an Miniſtri Eccleſiaſtici *Ordine* an *Gradu* diſtinguantur, ſufficit ad rem Noſtram eos Jure Apoſtolico quoad *Munera* & *Officia* diſtingui, & ergò meritò iſta Diſtinctio in Eccleſiâ *Anglicanâ* retinetur.

Sed ad 2um Adverſariorum Argumentum tranſeo, Illud Miniſterium eſt Antichriſtianum in quo ea *Superioritas* & *Imparitas* Miniſtrorum retinetur quæ directè *repugnat Legi Chriſtianæ.* Sed Superioritas & Imparitas Miniſtrorum in Eccleſiâ *Anglicanâ* directè repugnat Legi Chriſtianæ: Ergò,

Hoc Argumentum, fateor, rectiſſimè concluderet contra præſentem *Theſin*, ſi *minorem* probaverint; ſed cùm ei probandæ unicum tantum *Textum* malè intellectum habeant, tota Argumentatio debilis erit & invalida. Locus ex quo hoc probare conantur apud [b] *Matthæum*, & [c] *Lucam* Evangeliſtas legitur: & continet Reſponſum *Domini* noſtri ad *Diſcipulos indignantes*, quòd *Zebedæi Filii primatum ambierant. Jeſus autem vocavit eos ad ſe, & ait, ſcitis quia Principes Gentium.*

[b] Mat. c. 20. v. 26.
[c] Luc. c. 22. v. 25.

Gentium dominantur eorum, & qui Majores ſunt poteſtatem exercent in eos; non ita erit inter Vos, ſed quicunque voluerit inter vos Major fieri, ſit veſter Miniſter, & qui voluerit inter vos Primus eſſe, ſit veſter Servus.

Ex quo *Textú* concludunt omnem *ſuperioritatem* & *imparitatem* inter Miniſtros Evangelicos *prohiberi*, quia in eo Chriſtus *Apoſtolos* alloquitur Miniſterii Evangelici *Prototypos* & *repræſentativos*. Sed ex *contextú* Manifeſtum eſt Chriſtum iſtis verbis nihil aliud voluiſſe quàm ut *Errorem de regno terreno*, & quæ ex eo errore orta erat *ambitionem dominandi Diſcipulorum* animis eximeret, ſimúlque doceret munus ad quod vocati erant non eſſe *dominationem* ſed *miniſterium*. Et cùm *ipſe quem vocabant Magiſtrum & Dominum, idque rectiſſimè, ipſis miniſtraverit, & in mundum venerit ut miniſtraret, non ut ſibi miniſtraretur*; non magis ſequetur ex prædicto loco nullos Evangelii miniſtros poſſe ſuis *comminiſtris præeſſe*, quàm *Chriſtum ipſum* Apoſtolis *ſuperiorem* non fuiſſe, vel *Apoſtolos* in eos quos Eccleſiis paſtores præfecerant *authoritatem* non habuiſſe. Et hîc aſſentior Doctiſſimis hujus loci *Interpretibus*, quòd ſiquid ex illis verbis elici poſſit quod pro miniſtrorum Evangelii *æqualitate* faciat, id ad unum *Apoſtolorum Collegium* reſtringendum ſit, nec ultrà extendendum. *Fuerunt* enim *omnes Apoſtoli*, ut loquitur Sanctus *Cyprianus*, [d] *pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis*, & *ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidata* eſt, ſecundum Sanctum [e] *Hieronymum*.

[d] *De unitate Eccleſ. Ed. Ox. p.* 109.
[e] *Adverſus Jovinian. L.* 1. *c.* 14 *Ed. Colo. T.* 2. *p.* 126.

Dicere verò Chriſtum in loco citato omnem diſtinctionem & imparitatem miniſtrorum Eccleſiæ *prohibuiſſe*, ſupponit *Dominum* noſtrum *ſibi* ipſi *contradixiſſe*; quomodò enim poterit Chriſtus improbare munerum Eccleſiaſticorum *imparitatem*, cùm ipſe conſtituiſſet 70 *Evan-*

Evangelistas, secundi ordinis & minoris gradûs [ut [f] *Hieronymus* loquitur:] *dignitate minores Apostolis,* [ut fatetur [g] *Calvinus?*] multóque clariùs triumphans in cœlo [h] *dedit alios Apostolos, alios prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores.* Et hos non functionibus & nomine tantùm, sed *gradibus* distinctos; sic enim apud eundem *Apostolum* ad *Corinthios* [i] distinguuntur; *primùm Apostoli, secundò Prophetæ, tertiò Doctores,* cum imparitate & imparitatis *varietate*; & ergò nec omnis imparitas displicet Ecclesiis *Calvinisticis*, affirmat enim Dominus *Beza*, ut *unus quispiam cæterorum compresbyterorum judicio delectus, presbyterio* πρόεδρος *esset & permaneret, nec reprehendi posse nec debere*; injustè itaque ministerii nostri *imparitatem* damnant, multò enim deterius est, inter eos officiarios Ecclesiasticos, quos *Christus*, ut illi volunt, *pares reliquerit, novam superioritatem* instituere, quàm superioritatem ministerii retinere ab Apostolis & primitivâ Ecclesiâ *receptam*; & eadem argumenta valebunt, contra *Presbyterii præsidentiam* quæ ipsi Presbyteriani urgere solent contra *Primatum Pontificium* de novo erectum in *Collegio Apostolorum.*

[f] *Epist. ad Fabiolam Tom. 3. p. 300. E.*
[g] *Institut. L. 4.*
[h] *Ephes. 4. 11.*
[i] *1 Cor. 12. 28.*

Sed ad 3^ium & ultimum adversariorum argumentum festino. Illud Ministerium est *Antichristianum*, quod suam constitutionem, successionem, & authoritatem habet ab *Ecclesiâ Antichristianâ* (*Romanâ* scil. & *Pontificiâ.*) Sed priusquàm argumento directè respondeam, liceat obitèr calumniam *regerere*, & eos *Pontificii* erroris insimulare qui *Papismum* adeò *aversari* videri vellent. Manifestissimum enim est adversarios nostros, ut in plurimis aliis, ità in hâc controversiâ, cum *Pontificiis sentire.* Primò, affirmant adversarii *merum Presbyterum* posse *ordinare*; & sic etiam plurimi *Scholastici. Ordinare in sacerdotem est actus conveniens Sacerdoti in quantum Sacerdos est, & tantùm est actus*

impeditus in eo, inquit [k] *Petrus Aureolus, cùm enim Papa non possit ordines committere nisi Sacerdoti, ut Diacono, vel Laico, potest autem committere cuicunque Sacerdoti, ergò videtur quòd conferre ordines sit pertinens ad Sacerdotem* (ut urget prædictus *Author*) quid hoc aliud est quàm *vim aptitudinalem Presbyteris vi ordinis inhærentem*, cum *Presbyterianis* nostris, asserere?

[k] Aureol. ad 4tum sent. dist. 24. Art. 2. p. 163.

Secundò, Negant adversarii nostri *Episcopum* & *Presbyterum* ordine *distingui*; sic etiam plurimi *Scholastici*, præsertim *Jesuita*: qui, ut numerum ordinum *septenarium* defenderent, ab Ecclesiâ, ut volunt, institutum, *supremum* ordinem *Sacerdotem* affirmant; utpote ad quem spectet *summum* Munus spirituale, *conficiendi* scil. *corpus Domini Christi*, & *offerendi sacrificium Missæ*. In cujus ministerii *solennitatem Diaconos*, *Subdiaconos*, *Exorcistas*, *Acoluthos*, *Lectores*, & *Ostiarios* institutos volunt, & cæteras *Dignitates* Ecclesiasticas, *Episcopatum*, *Archiepiscopatum*, *Patriarchatum*, & ipsum *Pontificatum*, tantùm varios gradus *Sacerdotii* (*fundamenti* totius dignitatis Ecclesiasticæ) faciunt.

Tertiò, Infensi nobis sunt adversarii nostri, quòd dicimus Episcopum *jure divino* Presbytero superiorem, & tamen hîc habent *Legatos Pontificios* in *Concilio Tridentino* sibi consentientes; cùm enim [l] *formandis Anathematis & doctrinæ deputati, consideratis Theologorum sententiis, formulam conceperant cui insertum Episcopos jure divino Presbyteris superiores, Legati id non permiserunt*; & postea *Episcopis Hispanis id protinùs postulare constituentibus, consilio inter se inito determinarunt, admonendos esse Prælatos quos ad contradicendum in numero habebant, ut si hæc materia in medium adduceretur, tacerent, neque eam in disputationem mitterent*: adeò cauti scil. erant *Legati Pontificii* contra *jus divinum* Episcoporum.

[l] Petri Suavis *Histor. Concil. Trid. Ed. Lat.* pag. 489.

Illi

Illi itaque *imminuendo* dignitatem Epiſcopalem potiùs *Antichriſtiani* & *Pontificii* habendi, quàm Nos qui Epiſcoporum Ordini eundem debitum *honorem* exhibemus, quem ipſa *Scriptura* & Eccleſia *Catholica* illi olim dedêrit. Sed miniſterium noſtrum, inquiunt, habet ſuam authoritatem & ſucceſſionem ab *Eccleſiâ Antichriſtianâ*. 1mo *Romanam* Eccleſiam eſſe *corruptam* lubens fateor, & forſan, omnium quæ Chriſtianæ fidei fundamenta teneant, *corruptiſſimam:* ſed nec *illa* nec *ulla alia* Eccleſia Chriſtiana poteſt, ſine *contradictione in adjecto*, dici *Antichriſtiana:* quid ſit *Antichriſtianum* non novimus niſi ex ſacrâ paginâ, in illâ verò, definiente Divo *Johanne*, ſpiritus *Antichriſtianus* dicitur, [m] *qui negat Chriſtum veniſſe in carne*; & ergò *Antichriſtianiſſimus* non eſt, ubi eſt vera profeſſio fidei Chriſtianæ. [m] 1 Joh. 4. 3.

2do, Sit Eccleſia *Romana corruptiſſima*, non tamen ſequitur Ordines noſtros *invalidos* eſſe quia à corruptis Pontificiis recepti ſint; omnes enim *Proteſtantes*, qui ſobriè de hâc re loquuntur, affirmant *inſtitutiones divinas* ſua effecta *neceſſariò* habere virtute *præcepti* & *benedictionis Dei*; nec poſſe impedimentum pati à *vitio* vel *Heterodoxiâ Miniſtrantis*. Et hoc ipſi *Presbyteriani* affirmant de *ſuis* Ordinibus; cum *Sectariis* aliis, qui omnem Miniſterii Evangelici ordinariam *ſucceſſionem* contemnunt, controverſiam non habemus.

Ex præmiſſis concludo, contra omnes Eccleſiæ Anglicanæ *hoſtes*, *Miniſterium Eccleſiæ* Anglicanæ Reformatæ *eſſe verum*, *Canonicum*, & *Apoſtolicum*.

FINIS.